


In Signis Veri Anoris  
Obulsi de rokano Librum  
M. A. Albertus Wasniewski Pri  
Vladys Antinis Potocki; 1663.



# SÆCVLI GENIVS.

PETRO FIRMIANO.  
AVTHORE.



PARISIIS,  
SEBASTIANVM CRAMOI-  
SY, Regis Reginæ Archi-  
typographum. viâ  
Apud Iaco-  
GABRIELEM CRAMOISY. bza  
ET sub  
co-  
nijjs.

M. DC. LIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Rermitarum amaldus ep. S.P. Romualdi. Ex legato M.  
D. Feliciani de Smogorzow Wysowicz Cap. Narci.

Bien. F. II. 15

NOBILISSIMO  
VIRO, PHILIPPO  
COLANGIO, REGI A  
SANCTIORIBVS CONSILIIS,  
& in Regiarum Rationum Came-  
ra Parisiensi, Magistro.

PETRVS FIRMIANVS  
SALVTEM.

**V**A mihi virtus pridem nota est,  
vir clarissime, & in dignoscendis  
libris summa aequitas. Nullus te iu-  
dice damnatur, si vel pietati utilis, vel regno;  
nullus absoluitur, si aut quieti publicæ no-  
xius, aut moribus Christianis.

Non paucos certè inuenias, quos decipit  
sub eloquentia larvâ error latens, porrectum-  
que in auro dulce venenum: plurimos monet,

## E P I S T O L A.

ac delectat, argumenti insolentia. Te, neque  
comptissimæ eruditionis diserta fraus lusit;  
neque occœcauit illa nouitas, quæ toties faci-  
litoribus ingenij, & ad quælibet ignota  
spontè vergentibus, maligno splendore lumen  
ademit. Solidissimæ virtutis non vulgare  
exemplum est, ipsum exemplum non sequi;  
maximè ubi imitationis verecundiam tollit  
peccantium turba, ipsiusque erroris celebritas.  
Ista tamen circa te sæpè vidisti, nec passus es  
sagacissimum animum ab illâ pietate recede-  
re, cuius inoffensâ Ecclesiâ suspicio esse non  
potest.

Mirum equidem, te omnibus gratum, (eā  
morum comitate, quam tibi virtutum hære-  
di, inter domesticas opes reliquit suauissimus  
Pater) tot viris dignitate conspicuis, tot  
etiam amicis, recens natas opiniones cùm  
tanto ambitu amplexantibus, in causâ no-  
uitatis difflicere voluisse.

Cùm te laudari æquum sit, vir nobilissime,  
disce veritatem pati, ubi te tibi illa exhibet;  
assuefce vultibus tuis; & qui optima quæ-

## EPISTOLA.

que scire desideras , noli diutius ignorare rem  
præclarissimam , meritum tuum. Nihil ti-  
bi vitâ tuâ pulchrius potest ostendi ; verum  
neque utilius ; nam ut agendorum ratio-  
nem optimè noscas , anteactam , summâ cum  
laude , etatem , prudentissime consules , pro-  
derit que aspexisse quid feceris. hoc exem-  
plum tutus sequere , nec dubita te cum sa-  
piente versari , si à te , quem omnes suspi-  
ciunt , non discedes. Quid tuâ familia orati-  
narius ? quid dignius homine Christiano ? te  
rectore is est mundissimæ domus decor , ea  
sanctitas , ut pro Templo possit haber. et ne  
sacerdos deesset , fratrem optimum , Ecclesia-  
stici ordinis eximum lumen , à te auelli pas-  
sus non es ; ut cognati luminis accessione , que  
tua iam luce , domus clarebat , redderetur  
illustrior.

Omnibus placere , et si viro probo vix  
contingat ; illud tamen effecisti virtute tua,  
ut te , nec amantiorum Maritum Castis-  
sima uxor , nec Patrem meliorem liberi ,  
nec suauiorem Dominum serui desiderent.

## EPISTOLA.

Sed quid? ea omnia superat inuictissimum  
robur animi, & in ijs quæ à te eligi merue-  
runt, quæque tua semel virtus probauit,  
constantia.

In maximis publicorum negotiorum mo-  
tibus, tu semper Regiæ Majestati officiosus,  
neque minus Religioni, quæ confecto in aper-  
tos hostes bello, & defunctis periculis gran-  
dior, astutiori iam marte, consiliisque se-  
cretioribus, laceffitur à plurimis. hæc ab isto  
libro ne metue, Religiosissime Colangi, to-  
tus pro Rege est, & auita quam profiteris  
pietate. lege igitur, si non præclarum, at  
innocens opus, & hoc saltem titulo, virtu-  
tute tua, & proborum suffragijs dignum.  
Quid autem vetat, & te illud cogitare, ut  
ardentiori studio librum euoluas, breuem  
esse, & ab amico? Vale.



# MARCELLINVS LECTORI.

**V**o d sol repetito toties cursu, no-  
uos identidem dies creat, benefi-  
cium est illius orbis, cuius motus  
cæterorum lex; & quod liber iste, in uito  
prope Firmiano, emergit, meæ debes dili-  
gentiæ. Omnino absolui vetuit scriptoris  
ægra iam diu, neque laboris patiens valetu-  
do, infectumque edi author nolebat; ve-  
rū amico vrgenti, negare quod petit, res  
ardua: tandem obtinui ut non lateret. Tibi  
me aliquid præstissem, lector, agnosces, si li-  
brum agnoscas. sed non semel, oro, legeris:  
euolutus namq; habebit quod ostendat re-  
uisenti. At pusillus, inquis, & manualis.  
Esto. stagni tamen in modum, grande spe-  
culum est, plura exhibens, quam, aut expe-  
ctes, aut forsitan velint, quibus imago sua  
displacet. sæculum, quale omnino est, ob-  
oculos ponit egregijs coloribus, pari di-  
stantia remotus ab adulacione, & iniuriâ,  
vbicunque perditissimum Genium inuenit,  
damnat. Caue ergo, & tu, lector optime,  
ne in reos ipse quæsiturus, cā, quæ generi

## MARCELLVS LECTORI.

nostro innata est, ad alienos errores, acerbitate, etiam tibi aliquando inter plurimos occurras. quis enim sponsor, quod te liber iste præteribit prorsus intactum? ex prudentia tamen non feceris, si te perstrictū dicas, patetq; tuis questibus ea tibi conuenire, quæ animaduersione digna sunt. te ipsum vidi-  
sti? abi, & file, speculorum hæc natura ut omnia ostendant. Varij argumenti Dissertationes opus continet. Scribendi rationem probabis, si humanus lector, nec ad scholæ austerioris gustum contrahi optas, quicquid inter urbanè doctos, placidis sermonibus, ore libero, latius, venustiusque tractatur. Difficiliotis es animi? etiam sic lege; auer-  
so quoque, & nolenti, opus placebit. Nihil quippe in eo languidum, ne te oscitantem author habeat; nihil seuerum, quod non mitescat admistione materiae iucundioris. Læta vbique & tædiū arcens eruditio, quam nec festiuus Mecænas, nec rigidus Cato dñare velit. fallor, aut ipsos sermonis non tibi ingratos excursus, ad rem pertinere iudicabis, & ita quæstiones agi, vt quæ velut fortuitò intercurrit rerum varietas, nunquam tamen sit ab arguento absentia. Si authori benignius cœlum raptam sanitatem restituet, non cunctanter habebis par-  
tem alteram, interim hæc fruere, & Vale.

SÆCVLI GENIUS

FRONS OPERIS.

**A**STATE media , sub vesperam , & ad primæ noctis confinium liberius auris spirantibus ; ego Firmianus , Marcellino comite , quem mihi ab multis annis familiarissimum conciliauerat literarum ingens amor , & summa morum suauitas , domo processeram , ut simul optimâ parte diei , remissa calore diurno corpora , non sine voluptate reficeremus .

Placebat in illo sereno , variis sermonibus agitare nostram philosophiam , & quasi ludentes , ita pasci fieriis , vt mens nostra studere se , imbuique grandibus non aduerteret ; ipsa enim quandoque studia fallunt animos , nec facile sentiuntur insi-

A

nuantia sese mortalium ingeniis , si non labore, sed otio intrent , rigidamque veritatis perceptionem , leniat quædam libertatis imitatio.

Cœlum tunc omnino absque nubibus, nisi quâ parte cadebat sol , ut non sine pompâ abscederet , & inter vapores purpureos pulcherrimè occumbens , oculos intuentium solaretur nobilissimo spectaculo. In illa voluptate hærebamus , incerti , an splendor meridianus potior esset tam venustâ lucis defectione , noctisque præludiis. Cùm subito è montibus, qui non procul eminebant , auditur fragor , qualis est rotarum in subiecta saxa concitatis equis incurrentium , terramq; prementium pondere suo. procellam instare, audito licet ex alto strepitu , neuter credidit. Nulla enim in apertissimo aëre tempestatis præfigia , quibus admoneremur aliquid sinistrum parari , & quærentibus in-

## GENIVS.

3

uicem repentini tumultus causam,  
nihil occurrebat quod placeret cu-  
riosis.

Dum sic suspensis animis expecta-  
mus donec se natura explicuerit,  
dumque etrantibus oculis cœlum  
vestigamus si quâ parte concipit iras;  
nubem cernimus, longo volumine  
porrectam, sensim emergentem è  
montibus, atro colore, & proximum  
imbrem daturam, stipatarum frigore  
aquarum, nec iam loci superioris pa-  
tientium cogente grauitate. Ea erat  
quæ concepto igne iam cum illo lu-  
ctabatur, vimque suam quasi tenta-  
bat, obscuræ adhuc, timidæque pu-  
gnæ primordiis. Mox velut toto cœ-  
lo conuenisset scenam mutare, aliæ  
& aliæ nubes ita diem eripiunt, vt  
vix in grauido aëre se proderet iam  
furtiuia lux, & per nubium commis-  
suras cum pallore erumpens.

Forte fuit in illo nubilo, vt aliquot

A ij

## 4 SÆCVLI

passibus remota arbor fugientes nos  
exceperit densis foliis, & truncotam  
commodè hianti, ut esse posset pro-  
tecto, nubium torrentes, æstumue-  
diei in apertâ planicie declinantibus.

Opportunè nacti agreste domici-  
lium, Dei qui sic affuisset laudamus  
prudentiam, & dum gratiâ benefi-  
cæ arboris fruimur, fulmen gemina-  
tis ictibus, & inter coactos vapores  
viam quærens, tam immani tumultu  
replet aëra, ut terroris magnitudine  
penè redderemur exanimes, arborque  
ipsa, concussis latè ramis, mouere-  
tur à radicibus.

Interea soluuntur nubes, dumque  
ingenti sonitu in fluentem humum  
præcipitant, victor ignis per suspensi  
carceris rimas iaculatur proximæ li-  
bertatis signa, ceruicibus nostris im-  
minens, & quâ cecidisset iniurias in-  
cendio vindicaturus. Silebamus paui-  
di, vitæque potius nostræ finem,

quām tempestatis expectantes , ta-  
men Deum precabamur , & in cruce  
Domini Iesu , signatis frontibus , to-  
toque s̄epius pectore , quærebamus  
auxilium. Nec frustra , iterato enim  
fragore , & etiam aucto , tam placidâ  
mente fuimus , vt vix moueret nos  
nubium murmur , accensus supra ca-  
put aér , peneque in oculos fulgur  
impactum.

Tanta securitas , tamque subita  
animum mouit , vt crederet verum  
esse quod aiunt , dæmones scilicet  
turbinibus istis misceri , & multa pa-  
trari in aere , non solius naturæ ge-  
nio , sed & nefandorum spirituum so-  
lertè malitiâ , qui rebus humanis no-  
cituri , potentioribus causis vim suam  
iungunt , vt certius perdant. Mecum  
sentiebat Marcellinus , & prodigiosa  
referebat , quæ absque dæmonis os-  
pera posse fieri credibile vix est , fu-  
gatumque timorem crucis auxilio ,

trahebat in opinionis argumentum.  
Quis credat quod nunc referam? tandem vltimo impetu scissis nubibus  
erupit ignis, sparsusque in diuersa,  
pastores aliquot, tactis etiam gregi-  
bus ita afflauit, ut vitalibus consum-  
ptis, corde, iecore, viscerumque  
multiplici flexura, totum circa cor-  
pus nihil laderet. Sommo deiectos  
putasses, nisi quod in extinto vultu  
aberat color, qui dormientibus supe-  
rest, & fœdè prostrati, non consilio  
iacere, sed casu, satis ostendebant in-  
tuentibus.

Nobis quidem pepercit ignis, nec  
propius quinquaginta passus arbori  
quâ tegebamur, aduolutus est. Sed  
pro flammâ nobis fuit portentum in-  
gens; inassuetæ quippe magnitudi-  
nis, ut videbatur, homo, tam subitâ  
præsentîâ nostris obtutibus obiectus  
est, ut penè videretur ex Cadmeis mi-  
litibus vñus, quos olim repentina

ortu genuit terra , serpentem semi-  
nanti. Spectro dubia vestis , inter vi-  
rilem fœmineamque media , & tot  
colorum quot in iride miramur , vt si  
cætera abessent quibus metus incu-  
tiebatur , ad aspectum stolæ variantis  
esse posset voluptas. Vultus audax sed  
inquietus , qui adolescentem referret  
fronte viuidâ , nisi quod genis asper-  
fa canities , dubitantes oculos prohi-  
bebat certum de ætate , inter tam va-  
ria temporum signa , ferre iudicium.  
Dextrâ facem tenebat , sinistrâ' li-  
brum sacrorum , in cuius fronte  
grandibus literis exaratum , hoc  
verbum legebatur OMNIBVS. Non  
ingratis catenis onerabatur , erant  
enim ex auro , & velut placeret ca-  
ptiuitas , pretiosis vinculis ita corpus  
impedierat , vt quamuis motu vario  
fatis libertatem ostenderet ; illam ta-  
men videretur aspernari.

Obstupui fateor ad conspectum

A iiiij

immanis figuræ; sed mox ut cumque  
mihi redditus, rogaui ignotum, quis  
esset, peteretue. Tum ille clamore  
valido; Ego sum, inquit, sæculi Ge-  
nius & ne in posterum dubites, fre-  
quentissimè geniorum ductu grassari  
ſeuas tempestates, quæ armenta de-  
populantur, segetes necant, homi-  
nesque; ego hanc quam videtis exci-  
ui. Me authore solutus aër, infœlicis  
ſpem coloni, prostratis hodie iam fla-  
uescentibus ſpicis, hausit inexpecta-  
to naufragio; noxii ignis ego mate-  
riam subministraui frigidis vaporibus  
ut accensâ hostili tumultu flammâ,  
ſtragem hanc ederem, quam ſola po-  
tuit à vobis auertere pietas, in Deum-  
que reuerentia. Ego sum, qui in Bel-  
gio, totas aliquando ouium caulas  
cum pastoribus tuli, fruſtra claman-  
tibus ex aduerso cæteris, ut vitarent  
incendium. Sed quid vos tandem o  
Galli? non diu licebit vobis, intacta

felicitate , alienos casus dolere , ad vos quoque perueniet calamitas. Sæuior leone fortiorque , in vos tandem inuadam ; nec talis sum , qui Gallico cantu possim fugari. Hæc tacentibus nobis cùm dixisset , non visus est abi- re , sed in partes scindi , tamque latè diffundi , ut velut fumus ex angusto erumpens , nec diu stringi se passus , totam momento temporis impleret regionem.

Spectro dissoluto , quid animi no-  
bis fuerit enarrare difficillimum est ;  
admiratio quippe , timor , mœrörque  
æquali impetu , in fractis mentibus  
implebant partes suas : & statim ut  
vox stupentibus reddita ; Quid hoc  
est inquio , Marcelline , vigilamus an  
somniamus ? & verè sopore non op-  
primor , te video , mi Marcelline ,  
vestes tuas teneo manu , tango arbo-  
rem quæ ortâ tempestate tam com-  
modum nobis domicilium præbuit ;

& heus, quām timeo, ne Genius iste  
sæculi totam Galliam inuadat, no-  
uitatum æquè ac periculorum aui-  
dam! Quām subitò sparsus, quantum  
loci occupauit turbulentus ille Ge-  
nius, qui vbique procellas mouet &  
fulmina accendit. Sed de his melius  
domi quām sub frondibus, & sedem  
opportuniorem postulat, præsen-  
tium malorum, imminentiumque  
longa series.

His dictis, in lubricâ humo ponim-  
us gressus, incertisque vestigijs do-  
mum redimus, vbi nos ex amicis  
duo, non sine metu jamdudum op-  
periebantur de nostra salute solliciti;  
velox enim fama (& maximè in ma-  
lis) vbique sparserat, cœlestis ignis  
ractu quatuor viros interiisse, & iam  
penè, nos quos eâ parte constabat  
post serotinas epulas inambulasse,  
desleuerat necessariorum pia facili-  
tas. Non diu suspensus dolor, aman-

tes trementesque vexauit, visis enim  
quibus tam prolixè timuerant, quiet-  
uit domestica tempestas, illâ quæ  
nos in periculum miserat ferè hor-  
ridior.





# CVIQVE SÆCVLO SVVS GENIVS

## DISSERTATIO PRIMA.

**S**ERMO multus omnibus fuit de fulminibus , nemine dubitante illis miram inesse subtilemque potentiam . Quisque suo ordine , quod siue legerat , siue audierat , retulit . loculis integris ac illæsis argentum conflari : manente vagina liquefcere gladium : inuiolato ligno circa pila ferrum omne distillare : fracto dolio stare vinum , quod , soluto rigore , si bibatur ab imprudis , aut dementes facit aut exanimat .

Inter hæc quæsitus est , an dæmones tantæ potestatis sint , vt ad

jubentium nutum moueantur ea omnia , quæ conficiendis tempestatibus ideo natura prouidit , vt esset quod supra se timerent nocentes ; & quo fœlix nimis fortuna admoneretur , è cœlo grauia quandoque imminere pericula , cùm ab hominibus , terrâue ipsâ , nil censetur metuendum . cur nefarijs spiritibus tanta permitta sint , cùm sit prouidentia : nec iustæ administrationis videatur esse , sceleratis committere illud velut supernæ vltionis armamentarium , illam dico partem aëris , procellis natam fulminibusque , ex qua deinde dæmones possint expromere cum libuerit arma publica , quibus res humanae affligant , & mortales infestent ? Ad hæc similiaque sapienter Marcellinus . nihil indignum Deo fieri , si in eius Regno spiritus nequam assumantur in Carnifices . Et hoc sæpè in Republica videri , vt concessâ yi-

tâ quidam seruentur ex nocentibus, alios vltimo supplicio interempturi, quoties iudex pro officio suo rigidus, lexque iustissimè sœuiens imperauerit. neminem inuidere tortoribus infamem æque, ac formidandam potentiam: nec dæmones, istâ à deo concessâ vi, quâ noxij sunt, magis gloriari debere, quam bufones, serpentésque, quibus inest mortifera quædam potestas, & in exiguo corpore valida pestis, quæ nec regum purpuram nec ipsam virtutem reuereatur.

Major fuit quæstio de dæmone qui flammæ admixtus, formidabili tumultu pauidas concusserat mentes, & cum illa ceciderat. Primusque Agatho, vnuſ erat è duobus, qui nos domi cum cæteris operientes, aliorum metum sua formidine geminauerant; Sed quid Firmiane censes de isto Genio, ait, cuius tu spectator

non otiosus, exactissimâ descriptio-  
ne nobis imaginem exhibuisti? per-  
mitte amico non de fide tua quidem  
dubitare, sed tibi tanquam Christiano & philosopho loqui. Num putas  
aliquos esse Genios, qui regant mor-  
talium mentes definitis imperij sui  
temporibus; quique elapsò sæculo  
tradant alijs hæreditaria quadam se-  
rie, quod illis dederat sæculum na-  
scens, mundique vertenda post een-  
tum æstates constitutio? Angelorum  
nutui parere cœlestes orbes non ne-  
gauerim, circulosque suos implere,  
illo planè cursu, quem vel concita-  
tum, vel simillimum quieti dederit,  
seu quædam regentium mouens vir-  
tus, ut aliqui existimant, seu volun-  
tas imperiosa ex aliorum opinione,  
ad tantum opus abundè sufficiens. Et  
illud concesserim, ipsum oceanum,  
motu vario tot disputationum ma-  
teriem, formæ intelligentis ministe-

rio, vel in se statutis horis recedere,  
vel in terras effundi.

Sed quis ferat afferentem, Genios  
esse, non ex ijs quos humano generi  
custodes adhibuit Prouidentia, sed  
ex nefandorum numero, qui alter-  
nis imperijs sæcula regant, suósque  
mores non repugnantibus mortali-  
bus inspirent? Certè cùm omnia re-  
gna, eodem sæculo, ingeniorum  
morumque similitudine non conue-  
niant, fatendum erit cuique prouin-  
ciæ, suum assignari Genium, qui di-  
uersos à cæteris affectus, singularém-  
que vitæ rationem suæ genti com-  
municet: & ita, non erit sæculi Ge-  
nius, quisquis ille sit, qui inani titu-  
lo se nostræ ætatis principem finxit,  
vt eminentissimæ potestatis opinio-  
ne, vel admirationem sui, timidis  
mentibus insinuaret, vel etiam, quod  
peius est, reuerentiam. Non ita malè  
agitur cum rebus humanis, ô Firmia-  
ne,

ne, ut generi nostro ab hostibus qua-  
si leges dicantur, eorumque malitiæ  
subijciamur, qui numquam ad sanæ,  
laudandæque prouocabunt subditorum  
mentes, si pro arbitrio nocen-  
tes sint & quò volunt, inflectant.

Hæc ille. Sed iam silenti, & leui  
risu quasi postulanti, mene offendit  
sum vellem, quod Genium exagitas-  
set, responsum debebatur, & hæc à  
me libens accepit. Nec ego malis ge-  
nijs existimo orbem esse cōmissum,  
ô Agatho, tenebrarum quidem do-  
minos, ex sacra pagina nouimus, sed  
quis nesciat nefarios homines no-  
ctis appellatione designari, in qua  
astra non luceant? Ibi enim obscu-  
ritas est, vbi sol Christus suum non  
effundit splendorem, nec virtutes ir-  
radian. Sed nec istius noctis prin-  
cipes sunt mali Genij, nisi ipsamet  
anima, tædio lucis, volentes aduo-  
cet, sub libertatis titulo posteà cru-

deliter imperaturos. Certum tamen  
est, Agatho Charissime, sibi suc-  
cidentia sæcula, diuersissimis ut pluri-  
mum agitari Genijs, nec eosdem pa-  
ti Manes, hoc verbum liceat à Poëta  
mutuari, quotquot ex genere no-  
stro, varijs temporum conuersioni-  
bus orbem implent, prioris æui rui-  
nas, suâ præsentia reparaturi. Quid  
sint autem isti Genij scire desideras,  
o Agatho, explicandæ rei causa mu-  
tabo nomen. Dicamus, si lubet, ho-  
minum ingenia, singulis ferè sæcu-  
lis mutari non Genios; quos eo sen-  
su admitti æquum non est, quo olim  
delusa antiquitas, inferum orbem  
geniorum potestate regi ineptissi-  
mè existimauit. Quomodo autem  
ais, diuersa sæcula, studijs moribus-  
que tam distantibus subsunt? & hoc  
à te peterem, Agatho, cur singuli  
procedente ætate varijs exercemur  
cupiditatibus, adeoque discrepan-

tibus curis, ut quæ olim fuerant negotiosa adolescentum oblectamenta apud viros proscriptæ sint: succedentibus scilicet alijs curis, quæ sæpè non ideo laudantur quia sapientius animum humanum discruciant; sed quia frigidius utiliusque insaniunt. Neque verò studia tantum aut mores pro ætatum diuersitate diuersa sunt, cùm & sensus quadam temporum lege à seipsis quoque dissentire videantur, priorumque voluptatum non obscuram pœnitentiam profiteri. Pueros etenim non illi colores delestant quibus libentissimè vtitur prouæctior ætas, in ipsa vestium pompa ædiumque ornatu iam amans delicias tristiores. Bellaria, mel, saccarum, & si quid aliud suâ dulcedine commendatur, infantium palato maximè placent, non senum, quos vini recreat potus, & amara voluptas? Quædam, ut vides, non tam ipsorum

B ij

*Ley*  
hominum ; quām annorum passio-  
nes sunt , quas amouet , non sibi  
diu constans natura , temporumque  
curriculum . Volentibus annis non  
corpus tantūm , sed & animus mu-  
tatur , omnia penè quę elegit , ama-  
uitque , nouo iudicio , nec firmo ta-  
men , certissimè improbaturus . Au-  
disti , Agatho ? ea quæ cuilibet ho-  
mini non obscurè eueniunt , puta  
sæculis etiam conuenire , & ita post  
certas syderum motiones velut com-  
muni lege hominum ingenia trahi ,  
vt vix abducantur ab illarum rerum  
studijs , ad quę naturæ ipsius secreta  
vis , sæpè etiam nescientes impellit .

Meministi qualis fuerit ante ducen-  
tos annos ingeniorum constitutio ? ex  
scriptoribus liquet , non solùm non  
floruisse eloquentiam , sed conculca-  
tam ab imperitis , ad iustius sæculum  
prouocauisse . Tandiu iacuit eloquen-  
tia , donec illam fatis à barbaris con-

temptam , laceratamque , reuocauit  
fœlicior syderum nexus , atque so-  
cetas ; Iam in honore est , iam viget ,  
& publico suffragio fulta , sæculum  
aliud tremens expectat . Quid ? non  
ex historia didicisti quanta fuerit  
quibusdam sæculis doctorum ho-  
minum indigentia , artiumque , quæ  
antea in pretio fuerant , penuries ?  
Nullo indicante , ruditate ipsâ ag-  
noscuntur , etatis non ingeniosę ,  
scriptores , edificia , statuę in hoc us-  
que tempus seruatę , ut etiam sua sit  
ridiculis operibus immortalitas . At  
forte , aīs , bellis orbem infestanti-  
bus , exulauerant artes , fœliciori quo  
cūm ipsa pace rediturę . Longè aliter  
res est , ô Agatho , tam latę stupiditatis  
altior causa , quam quæ ab ar-  
mis petitur , principumque discordia .

Verum sit quasdam artes otio nu-  
triri atque delicijs , quales in sobrijs  
gentibus publico iudicio damnatas

crimen fuit colere, qualésque Sparta optimis moribus consulens , prohibuit suis ciuibus. At numquid fabricandorum armorum peritia , inter tumultus bellicos languescet , necessitatémque operum illorum , si ne quibus bellum , nec commodè geritur , nec quid habet metuendum? Et tamen sæculis illis , sub infausto cœlo inscitiâ laborantibus , miles armorum grauitate vires suas ante prælium debilitari sæpè dolebat , solertiâ illâ prorsus extinctâ , quæ alijs temporibus , ita ferrum aptat militaris , vt se metallo induitos , ex irritis potius hostium iætibus quam ex pondere agnoscant. Quis inde non videat aliquam esse causam superiorem , cuius vi hominum ingenia , vel vigent , vel inepta redduntur , ad easdem artes , quæ alijs tempestatibus florent , nec multò etiam constant labore , cum sub astris

mitioribus sagacior ætas ; eadem voluit , quæ non fortunatè tentauerat , sub agresti cœlo , necessaria rusticitas. Adhuc apud nos videntur incommoda illa militantium subsidia ; hastæ ad stuporem intuentium graves : Clypei , quos ex crassitudine granditatèque Gygantum credas , nisi corpuscula fuisse , quæ hæc gererent , admoneret ipsa natura , quæ nos majoribus nostris æquauit , vt nemo illam posterioribus sæculis , aliquid de humanorum corporum mole rescidisse quereretur. Manent ad nostram usque ætatem variè supellestilis opera , quæ prioris æui inconditam artem , ingratosque labores , ingenij ad summam subtilitatem adductis , ita demonstrant , vt nos etiam pudeat , aliquando genus humanum , tam incommodè tamque inconcinne seu necessitatibus , seu delicijs suis consuluisse.

Plurimorum Principum nummos  
vidisti , Agatho , sed forte hæc inge-  
niorum monumenta , mutamque ,  
& fidelem variæ ætatis historiam in  
his operibus non aduertisti . Sub Au-  
gusto artifices etiam augusti , expre-  
serunt in ære non indignos tanto  
Principe vultus . Nec cito periit in-  
dustria ; aliqui etiam ex Cæsaribus ,  
quos in supplicium generis humani ,  
vltor Deus mundo præfecerat , pari  
gratia videntur in nummis , regnum  
suum apud iratos posteros , etiam  
aliquo modo commendantes venu-  
state artificii . Sub Constantino artes ,  
non neglectæ quidem sed infeliciter  
laboriosæ , humanissimum Princi-  
pem , barbara manu , ita posteris  
exhibuerunt , ut honor ipse , qui me-  
ritissimo Principi , ab imperitis de-  
latus est , haberi possit pro iniuria  
maiestatis . Nec mitius cum aliis prin-  
cipibus actum est qui post illum re-

gnauerunt. Julianus in eos artifices  
incidit, quos meruerat; truces oculos,  
vultum horrida barba rigentem,  
ipsa artis malignitate effecerūt horri-  
diores; ut Tyrannus, quidoloris com-  
pendio è viuis excesserat, longa Ty-  
rannorū istorum quasi sœvitie, etiam  
apud posteros puniretur in nummis.

Putas, ô Agatho quidquid vna ætas  
patitur, cæteris etiam conuenire,  
æquali semper regnantis cœli, char-  
itate vel inuidia? Diuersis omnino  
modis in nos sœuiunt astra, placan-  
turque mortaliibus. Nouo indignan-  
tium stellarum influxu morbi quo-  
tidie creatur, quos vetus medicina  
non nouit. Illudque certè admir-  
atione dignum est, mare iam metuen-  
dum esse iis qui in portu consistunt;  
hominésque, quos propitia nauiga-  
tio fluctibus eripuit, habere aliquid  
ultra naufragium, quod ab oceano  
timeant. Constat enim experientiâ,

à centum annis , maritimas oras longè aliter quam prioribus sæculis , insalubres esse humanis corporibus ; prauitate aeris sæpe fauces corrupti , cadere dentes ; & vicinitate maris aliquando peius affici terræ incolas , quām si tempestate sæuiente fluctus ipsos subirent . Ortum ex Dania malum , non multò post totius orbis luem fuisse , notauit celeberrimus inter nostros medicus , causam nouæ cladis aliam non agnoscens peritus morborum perscrutator , præter siderum iras .

Referam , si placeat , inauditam ante quinquaginta annos , humanorum corporum afflictationem , Polonia gemente quòd sola inter omnes orbis regiones , electa sit in theatrum calamitatis . Quotquot noua tabe erant afflati , poetarum Medusam in historiam vertebant ; noxii humoris acerbitate capillis ita flexuose arrectis , ut

serpentes viderentur merso capite , in  
putida carne , caudisque in altum  
ludentibus. Cerebri laborantis, cuius  
iniuria hunc in cute horrorem facie-  
bat , nullum remedium : miseris cri-  
nes amputare aur auellere, mors erat,  
vel desperationi proximus dolor ,  
ipsa morte atrocior.

Scio hominum mores non eadem  
seruitute damnari quâ corpora sub  
imperantibus stellis , nec improbo  
cœlo in nobis virtutes interire ne-  
cessaria defectione : sæpius tamen ac-  
cidit , vt animus , prono ad vitia' cor-  
poris temperamento , ipse quoque  
legem sequatur, quam sensibus , non  
rationi datam esse , quisquis hominis  
dignitatem nouit , ignorare non po-  
test. hinc est quod variè in venis ac-  
censo sanguine , pro vt cœlum ar-  
dens nos aspicerit , homines vel ad  
venerem proclives sint , vel ad iram ,  
sub frigidiori climate numquam sine

incendio. Amota superstitione ,  
quam Religio , ratiōque iustissimè  
damnat , crediderim nouam aliquam  
cœli constitutionem , noua studia ,  
nouos mores , non obſistentibus ani-  
mis ingenerare , & veluti ſigillo quo-  
dam , in voluntaria cera , imaginem  
imprimere habitus illius quem astra  
patiuntur. Age nunc , Agatho Cha-  
rissime , & ſi quid in contrarium ha-  
bes , prome citius . mihi , cui iam mul-  
ta ætas , & ſtudijs exhausta valetudo ,  
à iuniori discere , non verecundia  
erit , ſed voluptas.

Ad hæc iam modeftior Agatho ,  
dixit ſe de diuersis Genijs doctrinam  
libentissimè amplecti , quæ nec dæ-  
monibus , nec cœlo , potestatem  
aliam in liberas mentes concederet ,  
quæ illam cui ex arbitrio ſeruiunt.  
Sed ſi diuersus à cæteris ſæculi nostri  
Genius , ait , peto , Firmiane , quæ  
ſit illa tam insolens nouitas , & in-

tetro phantasmate quid ipse animaduertisti , quod ingeniorum nostri temporis habitus , & vitia adumbret ? Sapienter vtilitérque curioso sic mihi visum est responder e.

Spectri exitialis formam , vestes , sermonem denique , qualia à me audiisti , Agatho in mentem reuoca , & quî coueniant , miserrimo certè sæculo facillimè agnosces .

Ex sæculi nostri Genio , est legitimam potestatem , in politicis æque ac in sacris , ferre non posse : ardua , & humanam facultatem superantia , periculosè scrutari : inquietâ scientiâ turbare orbem Christianum : quæ in scholâ secretiora sunt palam facere , vt nihil tam sanctum , tam purum nouerit doctor , quod plebs , & fœminæ , inficitia sua , & temeritate disputationis non polluant .

Eiusdem Genij est , nouitatem antiquitate conuestire , vt ad insignia

vetustatis, major illi cultus adhibetur, major fides. Veritatem obnubilat idem Genius lippis oculis parcens: de cætero loquax, & ad fastidium nostræ ætatis infinitos quotidie calamitos aptans, quibus posteritas, ni tempus obstat, aut fortius illo, incendium, non mediocriter cruciabitur: Ipsomet Genio authore, Religio, dignitate abiectâ, fortunæ seruit: pietas olim actuosa, otio torpet, inertiae etiam suæ mecedem sperans: ambitio nouis honorum figmentis ineptissimè intumescit: Egestas pecunia comparatur, & qui ad eam peruenit, aureâ viâ, inter lilia, applausore & mirante populo, sedens, fruiatur inopia fœlici: abdicatur denique, ut major sit morum licentia, ipsa libertas.

Ex his, ô Agatho, licet aliqua obscura sint, & explicatione indigeant, iam quasi ad primam auroram dubiè

vides, cur Genius in Colossi altitudinem crescat, artuum vastitate terribilis; cur posteriorum volumen, non quibusdam tantum aperiat sed omnibus. Quid portendat in turbato vultu audacia: quo animo senectutem inferat adolescentiae, & confusis utriusque sexus vestibus, ea minimè cdiscernat, quæ fœminas, abijs, quæ viros decent.

Cætera ad eamdem facem referuntur quâ orbi ignem subijcit iste Genius; ubi enim verecunda aut tremens, veritas filet, licentiūs furit vitiorum incendium. Alijs quoque ex causis mundus ignescit. Quæ sint, petis? libri multi odiorum, plures voluptatum incentiua sunt. sacro igne consumitur iuuentus illa, quam templo miserrimi parentes deuouent, non ut fiat sanctior, sed ut fulgeat. ardet plurimorum zelus, sed non ignis à Domino. Nobilitas,

nouam lucem sibi creans, in cineres  
abit; & quæsitus domesticarum opum  
effusione, honor, fit pluribus pyra  
funebris.

Quod de vinculorum pretio osten-  
dit Genius, verum est, Agatho, mul-  
ti enim ligari optant, & pro hostibus  
habent eos omnes qui loquuntur de  
libertate. Cur autem terribili Genio  
multicolor, & iucunda vestis? quia  
in illo multa etiam inuenies quæ la-  
crymas exsiccant, risum mouent.  
In Belgio pastores aliquot strauit,  
nec minora nostris minatur. quis  
ignorat historiam?

Sedet animo, nisi vos amici aliud  
consilium datis, ea omnia scriptis  
mandare, noua enim sunt, & utilissimè edentur. Quem verò ordinem  
seruabis; ait Agatho, in diuersissima  
materia? Eum planè, in quo,  
quem audiuitis; neque enim fortui-  
to impetu, aut alia animo versans,  
de

de Genio locutus sum. Sic ergo erit,  
Consueti Regiminis impatientia.  
Nouæ cuiusdam theologie pericu-  
losa sublimitas.

Turbulenta eruditio.

Gynomachia , siue mulierum cum  
Theologis conflictus.

Virorum fortium noua species, qui-  
bus pro virtute impietas.

Veritas togata.

Scribendi libido.

Ambitiosæ fortunæ ars sacra.

Pietas sine manibus.

Inanes nobilitatis tituli.

Paupertas empta.

In Gratiam libertatis detruncata li-  
bertas.

Prægustato opere , toto illo frui  
mihi maxima sitis oritur , ait Marcell-  
inus ; sed nunquid Gallico idioma-  
tè vulgarem te facies ? absit , inquiero ,  
mi Marcelline. Quid hæc ad popu-  
lum ? eruditis cupio loqui , hi soli

admittantur in sacrarium , plebs ar-  
cenda est. Placet autem , ô Amici ,  
impræsentiarum inquirere de illo Ge-  
nio quem ante nos nulla ætas agno-  
uit? Cùm annuissent , gratum fuit  
omnibus ab illa insania sermonem  
ordiri , quæ latius patet. hæc autem  
est.





# CONSVETI REGIMINIS IMPATIENTIA.

*DISSERTATIO SECUNDA.*

O x ego altius , vt oportebat , in me deductus , & va-  
stissimam diuersarum rerum  
quasi tabulam vnâ mentis acie lu-  
strans , publicas , & in ijs priuatas  
omnium fortunas non obscurè ani-  
maduerti istius Genij agitari furori-  
bus ; deprimi Reges ; nutare , quæ  
ipsâ temporum serie , & Religione ,  
sacra est , vetutissimam authorita-  
tem ; & quia vox ad diras tot malo-  
rum , tot seditionum imagines , in-  
terclusa videbatur , Marcellinus de-

C ij

center monuit ea à me expectari, quæ  
de grandi materia , & Regnorum  
miserrimo statu , mente concepe-  
ram ; subitóque ad amicissimum si-  
gnum tanquam euigilans ; Nolo mi-  
hi fidem habeas , inquio , Marcelline ,  
oculis crede ; Europam vides ?  
ostende in illâ principem , cuius au-  
thoritas non fuerit, vel sublata in to-  
tum; vel delibata; vel saltem, quòd in-  
iuriæ perfidiosissimū genus est , à sup-  
plicibus ipsis, inter abiectissimi cultus  
obsequia , salutationes , vota , cautè  
tentata ; noui Regiminis desiderio.

Non illud quidem mirum est , uti-  
lem humano generi principatum ,  
temporum lapsu in odium venisse ,  
cùm singulis mortalibus naturale sit  
diuturno bono laffari. Delicata pla-  
nè res homo , qui etiam optatis cru-  
ciari potest , iucundisque , & ipsis  
irasci voluptatibus ! Quæris quomo-  
modo? expertum te consule, & quam

non mentiar videbis. voluptatis, ad  
quam tantus ardor, tantus impetus,  
si durauerit, vix datur patientia. Pri-  
mùm oblatam, attonitus, raptusque,  
inassuetâ dulcedine sensus, admittit,  
commendante, quæ omnium penè  
rerum conciliatrix est, nouitate; sæ-  
pius redeuntem, iamque nimis no-  
tam, despicit, veterem non fert: Non  
ergo mira res antiquissimum princi-  
patum fastidium sui fecisse, cùm ip-  
sæmet deliciæ productæ sapidæ non  
sint, nec nisi recentes æstimatorem  
inueniant. Sed nouum omnino &  
mirabile, ô Amici, simul omnes or-  
bis regiones, consueti Regiminis gû-  
stum amisisse, eodem simul agi mo-  
tu; vbique principes dignitatis in-  
iuriam pati, nec vsu ipso dominij to-  
lerabiles, nec sua majestate securos.  
vnde ista populorum rebellantium  
velut consensio, nexusque, & in Re-  
ges audacia?

Laboriosum esset per singula regna errantem animum circumducere, ut adductis vnde cumque exemplis probaretur luculentius totius orbis fatum esse hanc pestem, licet non pari horrore saeuerit, ubicumque recepta est. Quid in suos principes peccent remotissimi à nobis populi, quotidie famâ spargente audimus; quid viciniores audeant, sentimus propè. Quis enim negat atrocissimi incendij scintillas, spirantibus ventis in proxima Regna allatas, iam sponte ardentes populos, acrius in Reges inflammaisse? ubi Æthna solito violentius feruet, & quid possit, ostendit, ingentium lapidum iactu, ignitisque torrentibus; terræ, cui imminet horridus vertex, nulla securitas; & si qua vrbs in viciniâ nec liquato sulphure, nec saxis præcipitantibus perit, admonetur tamen terræ mugitu, ipsisque cineribus

quos simul cum flamma mons euomit, perire potuisse: & hinc nobis iustissimus timor, quod proxima regna flagrant, suumque minantur incendium.

Cùm hæc ego dixissem voce flebili, illaque quam dolor efficit verborum nutantium inflexione, audio murmur; Marcellinus quippe ac Fœlix, nam & aderat, timorem auersati, quo tangi me, non obscurè significaueram, inter se mussabant, querebanturque Gallorum in suos Reges Reuerentiam, quâ nulla major est, constantiorque, in dubium vocari. Et absit à nobis, inquit, Fœlix, timor ille ominosus indignusque quem admiseris. fateor, questibus charissimæ patriæ non iniuriosis, magnopere sum delectatus; sed placandi animi erant, & timoris, qui nimius videretur, auertenda suspicio. Ergo sic.

Galliæ nostræ aduersus principes  
suis charitatem, inquit, pietatém-  
que, tot sæculis intemeratam, nemo  
nisi rudis, & illiteratus ignorat, ô  
amici. si quâ apud nos bella exar-  
re, non excutiendi causa principa-  
tus, nec propriè in Reges concepta  
sunt, quorum semper fuit apud nos,  
etiam cùm malè imperarent, Reue-  
rentia.

In maximâ rerum mutatione, sem-  
per illud constantissimè placuit quod  
semel Gallis placuerat, vnius arbitrio  
regi; neque vñquam ita desipuit sa-  
gacissima gens, vt sub Reipublicæ  
nomine, plures dominos concupie-  
rit, aliorum edocta calamitatibus,  
quid deberet optare. Nihil Monar-  
chiâ salubrius institutum est ad fœli-  
citatem mortalium: Nihil planè sua-  
uius, quam in illâ parendi necessi-  
tate, quæ omnium penè fortuna est,  
vnum dominum habere; illudque

imperium pati, cuius exemplum Deus  
est, vniuersi rector, à quo iusti no-  
centésque, vel sperant, vel timent,  
quod meriti sunt. hoc majores nostri  
censuere, cùm nepotibus suis retrò  
nascituris, æque ac sibi leges darent;  
libertatémque, cuius vsum conces-  
sit natura, ita coercent sub regi-  
bus, vt quamdam seruitutis imagi-  
nem, vtiliter licet fœlicitérque, in-  
duisse videretur: Et nos, antecesso-  
rum vestigijs inhærentes, idem pu-  
tamus. stirpibus, quibus parendum  
est ex decreto majorum, summus ho-  
nor: qui ex ijs imperaturus nascitur,  
pro communi habetur parente, nec  
à subditis, minori colitur reuerentiâ  
quàm si omnes genuisset. hoc ab ip-  
sis cunis discimus, nec aliquid priùs  
viri nobiles, generosæ soboli insu-  
farrant, quàm vni Regi adhærere,  
& pro illo, si opus est, ponere vi-  
tam. Quia tamen diximus consueti

Regiminis impatientiam ex sæculi  
Genio esse, neque ullum hac tempe-  
state regnum inueniri, in quo illa  
tragædiam aliquam non excitarit;  
etiam perscrutanda esset Gallia no-  
stra, ut si quid in eâ tale gestum est  
curiosos non lateret; sed obstat pa-  
triæ amor, atque existimatio, quæ  
in tantum creuit apud vos, ut etiam  
si factiosorum consilijs, plebisque  
non obscurâ defectione, primaria  
pulsaretur authoritas, ignorare ta-  
men publica mala, satius duceretis,  
quam fateri.

Itaque in gratiam vestri, quid nû-  
per in Galliâ actum sit, hostibus in  
spes maximas arrectis; quid populus,  
quid Magnates peccauerint, optaue-  
rintue; quæ fuerit illorum, quos  
fundibularios vocant, causa; iustá-  
ne, an à pluribus probe damnata,  
non disputabo. Et prudenter, ait  
Agatho subridens; nemo quippe

vulnera sua libenter videt; & plerisque suum sanguinem aspexisse, scaturientibus venis, satis fuit ad spirituum defectionem. Illud addam, inhumanum prorsus esse, infelicitibus, nimiâ sanandi erroris charitate, auferre opinionem felicitatis, quâ sibi blandiuntur, & placent; calamitatis enim, ô Firmiane, maximum mollementum est, ipsiusmet ignoratio; nec medentium manibus habetur gratia, quarum ope ad sensum amissi doloris natura reuocatur.

Non igitur, inquio, malorum nostrorum ingratâ narratione aures vestras conficiam; totus ero in externis doloribus: & commodus orator, quando sic placet, præteribo Regiæ potestatis cuilibet probo deflendam inclinationem; tribunalia, inter acerrimos negotiorum motus, raptis propè imperij habenis, ad speciem regalis fastigij accendentia; ubique, non

inscio tantum Principe, sed & cer-  
nente, nec volente tamen, militum  
delectum; instruētas acies: publici  
æris soluendi, sine præfecturâ leges  
datas: vrbes sine hoste armis feruen-  
tes: meditata, inuocata, empta, fœ-  
dissimis conditionibus exterorum au-  
xilia; tumultuariam denique ineptæ  
plebis, nec se à primoribus ludi sen-  
tientis audaciam, cuius vel recorda-  
tio reuocat metus, atque iram accen-  
dit. Et fortè iam plura dixi quàm  
velletis audire: sed hæc saltem obi-  
ter, & tanquam ex nube fulgura,  
cito transiturâ luce oculos vestros  
perstringere debuerunt, vt quid no-  
lim merito sermone prosequi; &  
quàm vobis parcam non ignoretis.  
ad cætera Regna transeo, nobis pa-  
tent, & in his, vbi nullius offendam  
timeas, non trepidabit inquisitura  
prudentia, neque alienæ calamitatis  
molesta erit contemplatio.

Anglia suos olim Reges non solum tulit, sed & ferè habuit pro numinibus, horum enim arbitrio vel stetit Religio, vel abiecta est. nota loquor, & ex temporum serie si vacaret, facillimè comprobanda. Colendi Regis in illa insula, modus, sine modo, si ab Henrico octauo, ad Carolum usque huius nominis primum, quid sacrilegâ in suos Reges obseruantia, peccauerint Angli æstimare volueris. Idem Ecclesiæ caput, proindeque oraculum fidei, Christi Vicarius, primus sacerdos, qui Rex, & in politicis arbiter summus; &, quod nefas apud nos habentur, ab uno tamdiu pependit humorum administratio, & ratio diuinorum. Vbi nunc illa regij culminis Reuerentia, vbi honor nimia adulazione ad impietatem vergens, & sedenti Petro iniuriosus? iam apud Anglos Regis iustissimum nomen

tyrannum sonat , plebem mouet ,  
proscriptum est , illudque , vel in-  
uocare perditis in rebus , vel professo  
dolore suspirare , satis est ad suppli-  
cium . Iam fugiendum ab insulâ (qua-  
si Cyclopū alterā ) non Romanæ tan-  
tum Ecclesiæ assertoribus , sed &  
Monarchiæ studiosis , vt vno exilio  
duplex authoritas damnata , moneat  
incautos Reges , suæque dignitatis  
incuriosos , ibi thronos non stare  
diu , vbi hæresis in dies semper auda-  
cior , subtiliorque , sceptrum fasti-  
diens , de libertate cogitat , seipsam  
quoquo modo stabilitura.

Angliam vidi , dum adhuc sub  
clementissimo Rege suas leges patie-  
batur , nec prudentiam majorum in  
iudicium vocabat , vt post tot sæcu-  
la periculosissimè decerneret , illud-  
ne melius quod seruandum statuif-  
sent . tūm summa pax regno princi-  
pem suum colenti ; ærarium advici-

norum inuidiam , metumque ; por-  
tus commercio graues ; tanta deni-  
que securitas , vt nihil illâ terrâ vide-  
retur auspicatus . Aquis ingentibus  
vallata , mirum est quâm placidè ab  
illo naturæ propugnaculo nostra in-  
cendia viderit ; quâm nostros tu-  
multus imperturbata riferit , auxe-  
ritque aliquando , vtilissimâ nego-  
tijs suis iniquitate ; vt cæteris terræ  
partibus bello occupatis , sola nutri-  
ret illas artes quibus fouetur fœlici-  
tas publica , euocanturque à remo-  
tissimis gentibus opes , numquam  
certius ad nos peruenturæ , quâm la-  
bore , & ingenio . In illâ pace nulla  
penè famosa nauigia nisi quæ regni  
illius insignijs micarent , toto vi-  
sebantur oceano ; illis fulgentibus , plu-  
rimæ classes ad Principum suorum de-  
decus , timidè errantes , furto tenta-  
bant , quæ publico iure omnibus li-  
cent ; quódque solet aggredi , paten-

tibus vndis , audax & virilis innocentia , vix moliebantur post inhonestas prudentiæ suæ cunctationes.

Non placuit sub Rege tanta prosperitas , quid nouum regimen optabilius haberet , fœliciusque , experiri voluit Anglia , iam ipsa potestatis mutatione calamitosa , iam ciuilis odij theatrum exitiale , & latronum , sub specie boni publici , præda communis. Non apertâ primum aut subitâ defectione seditio peccauit in Regem. secretis machinis , lento gradu sceleratum opus adorta est. querelis etenim , quæ innocentia miserabilis speciem præ se ferrent , vi malorum sub crudelissimo regno ad desperationē adactæ ; perplexis deinde sermonibus , nec explicatis ; & tandem , crescente audaciâ , priuatis colloquijs ora liberiūs soluens , tentauit quid posset , quid vellet exequi incertum vulgus. quos in aula apud Regem

Regem gratiosos vidit , aptosque  
negotijs , hos tanquam hirudines pu-  
blicas , multo satiatis sanguine , in-  
famauit ; compositis in rem suam  
mendacibus scriptis , quibus in eos  
facillimæ plebis odium accendere-  
tur.

Actum est de potestate regiâ , vbi  
Principis amor crimen est virorum  
illorum , quos in partem sollicitudi-  
nis vocat , non plus honoribus auctos  
quam curis & inuidiâ ; & hic certè in-  
gratissimus est fructus , seu laboris ,  
seu meriti , non posse impunè assumi  
ad eminentissimos dignitatum gra-  
dus , quibus parem te fecit natura ,  
nec Principis gratiâ frui .

Inter plures quibus non licuit ama-  
ri à Rege , aliqui fuerunt ex poten-  
tioribus eximiâ fidelitate illustres ,  
quidam consilio & prudentiâ . quam-  
diu hæ steterunt Columnæ , nusquam  
Regis Anglici , qui his inniteretur ,

concussa est authoritas , sæpè licet  
arietata , turbidis temporibus ; ubi  
non obscurè quærebatur , an popu-  
lus liberrimis suffragijs Regum arti-  
fex , opus suum destruere minimè  
posset , quæue esset illa parendi ne-  
cessitas , quam tempus , omnia ter-  
minis suis concludens , nullis finibus  
circumscriberet ? qualis denique ,  
majorum in iureiurando Religio ,  
quæ post tot sæcula inuitos nepotes  
cogeret ad Principis patientiam ? Sed  
hæc , stantibus viris , quibus chara  
Regis dignitas , innoxie iactabantur ,  
& nisi perirent , standum erat Regni  
legibus , nec spes vlla mutationis .  
Quid ad hæc ingeniosa seditio ? Re-  
gem palam reuerita , ministros im-  
petitur fideliores , rata se vietricem ,  
si occumberent . Ergo capti , & an-  
tequam audirentur , certi perire , tra-  
huntur ad tribunal : Rex ipse , varijs  
suorum afflictionibus iam tumulti-

bus impar, non profuturâ reis ma-  
jestate, adesse sustinuit. Crimen in  
promptu, peruersa pecuniarum ad-  
ministratio, sanguis patriæ fusus, si  
non manu saltem consilio, quo Rex  
vñsus, & in populares suos non ne-  
cessario bello sœuiens, nec ipse in-  
cruentus haberetur. Non diu forum  
tenuit causa fatalis: capite plectun-  
tur, dolente Rege se illos à furen-  
tium manibus eripere non potuisse.  
Et hic expirantis Monarchiæ articu-  
lus, quæ iam publicè inualida, sub-  
ditisque inferior, totam qua fulge-  
bat priùs claritatem amisit.

Contempta res Princeps, qui suos  
ab iniuria vindicare non potest, &  
rarus, qui suæ fortunæ periculo, ve-  
lit tueri iustissimam causam casuræ  
Majestatis. quotquot regiarum par-  
tium erant, tunc timidius Principem  
colere, à quo nihil speraretur præ-  
sidij, illóque neglecto ad tutiora

respicere, & temporum sorte regi.

Quid plura? Rex ipse, non multo post, quod in ministris suis doluerat, funestius expertus est. Primò honorarios milites, & ad imaginem Reuerentiæ, habuit pro custodia. hæ adhuc reliquiæ erant extinctæ potestatis: hæc publicæ audaciæ, seipsum callidissimè regentis, quasi fræna, ut lentius quod statuerat opportuno tempore exequeretur. tandem Rex arctius habitus, & locorum frequenti mutatione lassatus, priuatæ fortunæ iniurias penè omnes æquissimo animo tulit; nec abjectâ tamen dignitate, se Regem à suis non agnoscí, constanter sæpè apud non audiētes questus est. Sed coronata debebatur insanienti populo viictima, nec ignobiliori sanguine litandum erat Reipublicæ, quæ iam concepta, nec nata, docuit, non solas viperas crudelēs esse antequam edantur in lu-

cem, & nefandam quoque apud populos, ad quam peruenitur parricidio, libertatem inueniri.

Cæso Rege, omnes qui in illum proni, seu manus, seu facultates perreunti commodauerant, quæsiti sunt, & in plures vltimo suppicio sœvitum, vt cæteri deterrimis exemplis admoniti, quantò constaret in Regem pietas, ab inutili iam audaciâ abstinerent, & timore coercerentur: nec infelix crudelitas; animos hucusque tenet, ne prorumpant in iustissimum facinus; ne vltores se exhibeant augustissimi sanguinis, & Principis manes placent recentis Republicæ euerstione. Ecce quid in viciniâ sœculi Genius, exempla vultis remotiora adducam.

Lusitania, Regum dignitatem non respuit quidem, sed familiam non tulit, quæ reges dare à pluriinis annis solita erat. hanc nostro æuo cele-

brem in Principes Austriacos defectionem , excitauit consueti regiminiis impatientia , iam commune gentium malum : graue quidem est ab extero Principe regi , quem numquam videas , quem tibi inamabilem facit , hæreditaria populorum , etiam sine bello dissidentium , discordia , expertæque seueritatis , tenax , & maligna recordatio . hoc tamen iugum ferebant Lusitani , & fluminis instar , cui agger insuperabilis pro lege est , solo fremitu se inuisæ potestatis imperio teneri , gementes testabantur . sed tandem fœlici nec cruentâ calliditate , populus stirpi , quæ apud senata , redditus , illi Domino libens subigitur , quem secretis tamdiu votis exoptarat , putatque meliorem . Ecce coronam ex Genio sæculi in caput alterum coniectam , expectantemque , donec vel fortunæ leuitate cadat iterum , vel constantiâ , no-

uæ fronti aptetur tenaciùs. legitimo enim hæredi restitui regnum frustra optasset æquitas; nisi querulæ, & timimenti, recèns excitata à secerioribus causis, ista populorum, de qua agimus, impatientia audaciam dedisset.

Quid autem Neapolis? an Regem habeat, nescitur, nisi supplicijs; quæ in rebellantes atrocia, frequentiaque, penè tyrannidis notam terribili Regno inussere, & ex subditis acer- rimos hostes effecerunt, quotquot æquitatem imperij, metiuntur sua- uitate, & clementiâ.

Quis, oro, Gallicis copijs in Cata- lonia viam fecit, nisi sæculi Genius; bellorum incitor, & in quoslibet Dominos atrox? Eo in statu certe est illa Prouincia, ut nisi subdatur alte- ri ex Regibus quorum viciniâ premi- tur, omnino fulciri non possit. Am- plissimi Imperij pars effecta, modica tellus, non multo seruatur labore;

D iiii

illam enim protegit ipsa cui accessit  
vastitas : sibi relicta , non potis est  
illatas iniurias propulsare , guttæ si-  
milis , quæ fluvio admixta , nihil à  
feruentiori sole metuit , sola sic-  
catur.

Comparandæ libertatis in illa re-  
gione summus ardor , & etiam fre-  
quentibus bellis famosus , sed cathe-  
nis impar , nec sufficiens ad excutien-  
dam potestatem : & in eâ iugum pa-  
tiendi necessitate , hoc tantum à be-  
nigniori fortuna accipit , posse expe-  
riri nouum Principem , nouas le-  
ges , alternisque velut sortibus , suam ,  
quando sui juris esse non conceditur ,  
seruitutem solari .

In illo tamen mutandi Principis  
consilio diu hæsit Catalonia : & len-  
tissimis , inter tot variæ prudentiæ ra-  
tiones , ciuibus , tandem arma non  
plaçuissent , nisi Genius ille sæculi ,  
timentes cunctantésque extimulaf-

cessit  
is est  
æ si-  
hil à  
sic-  
a re-  
fre-  
the-  
ien-  
pa-  
be-  
xpe-  
r le-  
am,  
tur,  
ipis  
en-  
ra-  
on  
li,  
af-

set; suassissetque, Gallico exercitu &  
imperio, suam, quam amisisse sub  
Rege Hispano arbitrantur, fælicitatem recuperare.

Nec se à communi peste defendit  
potestas Ottomanica; dum sedem  
Imperij Princeps, vel transferre co-  
gitat inconsultis ciuibus, vel cogi-  
tasse creditur à furentibus oppressus  
est. frequens, iam in illis partibus  
audacia: alijs enim titulis in Impera-  
tores sœuiens, ostendit sæpiùs, iniu-  
riâ majestatis, carcere, funere ipso,  
numquam sic attolli reges ut deprimi  
non possint.

Similibus immorant̄ dies me potius  
deficiet quām materies, sed abuti pa-  
tientiâ vestrâ non est equum, & nota  
referre, iniucundum scientibus. Et,  
ne time, interceptit Agatho, nos opti-  
mis sermonibus in tedium adduci,  
nam & placent quę prosunt; & gaudet  
animus ad ea reuocari quibus inspi-

ciendis vna contemplatione sufficit.

Vera esse quæ dixisti, ô Firmiane,  
quis neget, nisi qui, velut Archime-  
des Siracusius, armorum strepitu non  
excitatur, nec circa se videt orbis la-  
borantis publica mala? sed ex notis  
calamitatibus pauci sunt qui dedu-  
cant argumentum philosophiæ, de-  
fectuque utilissimæ meditationis,  
ignoratur à pluribus iste sæculi Ge-  
nius, quibus tamen infestus est. Se-  
quor igitur, inquit. iam è dedu-  
cta res est, ô amici, vt quisquis cæ-  
teros antecellit dignitate, timeat  
quos infra se habet, omnisque pror-  
fus dominij sit possessio litigiosa.  
Ideo plurimis potestas sua viluit, &  
tot telis impetus honor, pro tor-  
mento est. Quid miramur in singu-  
lis hominibus ignobile corpus im-  
peranti animo non obsequi? datur  
etiam corporis politici quædam con-  
cupiscentia, quæ dominum nescit,

& peccatorum veluti fomes est quo  
regna vitiantur.

Salus nulla , vbi potior pars alte-  
ri paret , nec ad dignitatem suam  
compellitur atrocitate iniuriæ . pro-  
ceras riparum arbores , fallax vn-  
da mersas , inuersasque spectantibus  
ostendit : sed hoc ipsum quod natu-  
ra ludit in aquis , veriori spectaculo  
terra exhibet , regiæ celsitudinis de-  
pressione. In quos inuehar ? quos ac-  
cusem ? populus certè in culpa est ;  
sed neque in totum innocens Maje-  
stas , cuius nimia quandóque patien-  
tia subditorum nutrit audaciam , lo-  
cumque dat nusquam ferendæ , vero  
in Regno , æ qualitati.

Stellæ non sunt quæ cadere viden-  
tur æstiuo tempore , verùm flammæ  
ignobiles , quæ vix priùs micant quàm  
extinguantur , & locum facile mu-  
tant. Ille , ille Rex , qui è fastigio suo  
prodest singulis , & etiam dum cle-

mentior est , ita beneficijs allicit subditorum animos , vt timeri mereatur. Ille Rex , qui ad optanda non cogitur , sed accedit , suorum miseratione permotus , & publica sentit mala , promptâ manu , libera tamen , statim vt poterit , subleuaturus.

Sic ego ; sed plura dicturum turbauit dissonus populi clamor ; ad quem suspensus Agatho , sed quis iste , ait , tumultus , inæquali murmure aures feriens ? plebis videtur concitatæ ; nam & passim curritur , & ad arma clamatur. Scire iuuat , ô Amici , quæ tam subiti motus causa , in iram miserit insanientes , sed hinc exire intutum , & dum loquor , iam densior turba plus audet quam incœperat.

Adolescens erat in familiâ , Ingeniosus , & maturus supra ætatem : is egredi iussus , & causas insoliti motus ab obuijs sciscitari , statim vt illis admixtus est , quæsiuit vnde

exorta tempestas, quisue hostis, odio, armis, tumultu, peteretur? sed nemini ita compositus animus, ut pacatè responderet; multumque fuit, ab iratis turbatè accepisse: non passuram ciuitatem illustres captiuos diutiùsteneri, quorum libertas, iam plus anno, tot frustra votis expedita, haberetur publica salus. Quidquid esset in Regno spei, ad subleuandas afflictæ plebis calamitates, contineri in arce, quā viri Principes, solā suspiciose potestatis opinione, & virium famâ rei, detinebantur. Interim crescebat tumultus, & quacumque aspiceres, arma feruebant; ferrebaturque plures ciuitates non manfuras in officio, nisi Rex mitioribus consilijs vtens, pateretur eripi sibi, quos sub Majestatis inuidiâ, priuati hominis ambitio, in commodum immanis fortunæ victimas destinabat. Reuersus adolescens seditionis

imagine plenus, non sine timore re-  
tulit quæ audierat : adiecitque, se  
inter furiosos periclitatum modestię  
vultu, tandem arte euasisse, simula-  
tis affectibus quibus laborabat in-  
fana multitudo.

Amoto seruo, ne secretioribus  
colloquijs interesset, quisque libe-  
rius inter amicos, parésque, suum  
sensum aperuit, primusque, Aga-  
tho ; Nec prophetam, inquit, me  
dixerim, nec astrologum ; qui vel  
numinis afflatu, vel diuturno syde-  
rum commercio supra cæteros mor-  
tales edoctus, possim futurorum ca-  
liginem euoluere. Non alia mihi lux,  
quàm ea quæ generi nostro ad varios  
huius vitæ usus à naturâ concessa est,  
& quæ euentis in dies clarior, quan-  
dóque ultra præsentium rerum sta-  
tum, fœliciter se effundit. dicam ta-  
men, neque ideo mihi prudentiæ no-  
men usurpabo, me hodie nihil ab-

isto adolescentे audiuisse , quod non ante præuiderim. statim ut spissatæ nubes, alta petentem exhalationem in ipsâ viâ intercepere , fit strepitus , vehementiora & atrociora porten-dens. Idem ego semper existimaui de Principibus viris. statim namque , vt in insidias deducti , captique sunt , è carcere ipso veluti tonant , neque vñquam ferè illorum est sine fragore custodia. Et raro murmur otiosum : plurima námque mouen-tur ad tumultum amissæ libertatis ; & licet vtiliter secedant , nihil molitu-ri in necessariâ solitudine , sœpè ta-men in Regno idem fit quod in ægro-tis videmus : vt validissimo remedio totum corpus concutiat , & salus pereat , quæ optimæ artis non so-brio , nec timente satis vſu , quæfi-ta est.

Principum , qui non palam deli-quere , animaduersio publica caudam

habet, velut cometes; trahit namque s<sup>e</sup>pissimè longiorem se calamitatum seriem, & hæc mihi videtur ratio. vbi illustrium pœna, peccato notior est, tanquam sit calamitosæ virtutis, primò miserationem mouet, deinde iram, quæ seditionis in mobili plebe maximum est incitamentum. Constat de scelere, paucierunt quos moueat merita captiuitas, nec ipsum natalium decus ad misericordiam flectet. vbi autem supplicij causa non putatur esse, miserrorum defectio, sed aut s<sup>e</sup>ruitia hostium, aut regentium timor; clementiam vulgi cito obtinenter, qui etiam ante carcerem inuisi, alijs de causis diras in se excitarant.

Nostris quanta fuerit ad principum recens malum. inconditi vulgi exultatio. in plerisque locis publicè ignes accensi, quorum vel lux nocte ipsâ horridior, à captiuis posset videri,

videri, addito clamore, qui ad spectaculum ingratissimi gaudij vocaret iufclices. Parum erat ybique narrare optatam virorum illustrium captiuitatem; canebatur in compitis, ridiculæ poëeos argumentum effeta, & ad populi Genium, vt principes viri traducerentur hilariùs. Nunc diuerfissimo motu agitatur plebs; postulat reddi captiuos, quibus antea tam acerbè illusit, vt numquam placanda putaretur. Neque mirum: quicumque apud nos Regio sanguine clari, modicâ pœnâ diluunt quodcumque peccauerint, summumque illis ius est ad misericordiam, generis reuerentia, ac dignitas. Iam igitur vulgi iudicio sunt innocentes; solique censentur qui cadenti Galliæ manum vtiliter admoueant, succurrântque rebus publicis, quas in desperationem, vt aiunt, propè adduxit ministrorum vel ambi-

tio , vel cæcitas , vel inertia.

Sed altiora suspicor quām quæ videmus. Mare tempestatibus qui-  
dem obnoxium est , at non sœuit ni-  
si placidas vndas turbidus aër mis-  
cuerit : nec profecto plebs ista tam  
subito tāmque acri motu insurgeret ,  
suis admonita malis , quām tenax sit  
læsis Regibus memoria , nisi aliun-  
de excitaretur. credite , ventorum ,  
non pelagi ista rabies est , quæ nos  
vocat in discrimen , & omnia distur-  
bat. Neque enim omnes Æolus clau-  
fos habet , tres tantum

Imperio premit , ac vinclis & car-  
cere frænat ,

Sceptra tenens , mollitque ani-  
mos , & temperat iras.

His auditis , diutius tacere in po-  
testate non fuit. Ergo ad Fœlicem  
versus; Et hoc est , inquio , ô Fœlix ,  
quòd tu nimio affectu in patriam  
pronus , me silere voluisti ; iam fate-

re quod times , quod sentis , quod  
que animo , de rebus nostris piè qui-  
dem , sed minùs verè iudicanti , sua-  
dere tandem debet iratum vulgus ,  
seditioque multò me eloquentior.  
Audis quid populus , non optet so-  
lum , sed iubeat ? intemperanti enim  
satis non est , esse Regi à Consilijs ,  
vult , decernit , imperat : nihil um-  
quam voce validiori , vel postulauit ,  
vel minatus est . Ecce toto pectore ,  
totis faucibus clamat , purporam sa-  
cram politicæ administrationi aptam  
non esse , reddendamque altaribus .  
Illos omnes , quibus huc usque usus  
Rex , amouendos à negotijs , nouis-  
fima exempla meritos , publico dam-  
nandos iudicio , Regno pellendos .

Contemnatur an vincat rumor  
insolens incertum est ; sàpè enim  
tempori utiliter aptatur Regia di-  
gnitas , vultque inuita , quod no-  
luisse , etsi fortè rebus minus condu-

cens, esset tamen honestius. Et in mari ventis aliquando obsequendum, quos præter artem patitur qui clavum tenet. Necessitas non minus Regum quam cæterorum lex, pro ut se obtulerit, ab omnibus excipienda est: ad quid enim inutilis, indecensque reluctatio? qua trahimur, eundum. quid tamen verear libenter dicam.

Non facile concessis placatur popularis audacia: majora vult quam postulauit, si trepidè illam demerearis, fœlici successu admonita, quam impunè possit peccare. An captiui in quorum gratiam furit vulgus, soluendi sint, magna quæstio, sed politicis agitandam relinquimus, quorum iudicio, nec leuiter in vincula conijciendi Principes, nec libertate donandi; cum ferè æqualis momenti sit, & eos iniuriâ tenere, & læfos, memorésque, fortunæ redde-

re, quâ abuti maximè solent, qui ea  
vti aliquamdiu prohibiti sunt.

Quam noxiū sit, quām stultum  
accingi in suos Principes consueti re-  
giminis impatientiâ, illisque acce-  
dere, qui armorum vi ad humanio-  
rem formam adacturos se jactitant  
rigidissimum ministerium, vtilius  
tractabimus. Corporis humani ideo  
facilis est dissolutio, quòd coelescit  
contrarijs & litigantium qualitatum  
dissidio premitur, velut illæ vrbes  
quæ ciuium rixis partitæ, discin-  
dunt fœlicitatem suam. In quolibet  
Regno illud quoque aduertas; nam  
fortunarum acer concursus est, per-  
petuâque conflictatio: nulla sine ho-  
ste, aut insidijs. si qua eminet, ipsius  
fastigij vmbra splendorem suum con-  
dij omnes putant, qui suprà se nihil  
quietè vident, dolentque eò loci  
suum statum esse, vnde possit ascen-  
di. hinc pugnæ, hinc tumultus. vbi

enim ambitio tranquillis in rebus nihil proficit, ipsi otio irascitur, disturbaturque, velut insanæ gloriæ impedimentum, publicam pacem.

Adde illud, plures esse ex illustribus viris, qui cum in altissimas spes incubuerint, frustra se sperasse impatienter ferunt, iniuriāmque dignitatis existimant, non obtinuisse à Rege, quodcumque prece audaci, & propemodum armatā, postulaure. Neque semper inuitis negatur quod rogant. callidissimae ambitionis subtilitatem vobis aperiam. quæsito probro, sæpissimè viam sibi sternit ad optata, ubi honestior transitus non est. quæ autem ratione, inquis? Illa petere quæ saluâ Regis maiestate, & securitate Regni, concedi vix possunt, ars est cupiditatis illius, quæ in bellum prona, non priùs attollere signa audet, quæm iniquitate repulsæ lacefita videatur. Indigna-

tionis tūm ampla materies sponte auersis , & illud ipsum , quod vero affectu flagitare videbantur , timentibus . Dehinc , iræ imagine verba iactantur ; quæ mox relata Majestati , audientem iustissimè exasperant , quod largitionis leges sibi imponantur à subditis , nec liceat Regno potenti , ea non dare , quæ dedisse pœnitentia . Quid tandem ? scintilla flatu incitata crescit in flamمام , & ira fit Regius dolor , frequentibus querelis , repetitaque audaciâ sàpè tentatus . tunc ab aula recedendi maxima causa , Regem suspiciosum habere , captiuitatis meditatæ timor , indignata Majestas .

Alij quoque sunt offensionis prætextus : scilicet ad secretiora consilia non vocari viros Principes , generisque splendorem traduci , Ministerorum infimæ sortis electione ; qui eo amplitudinis gradu euecti , stir-

pes regno proximas despiciunt , vt apud plebem eminentiores habeantur conculatione dignitatis ; & quām possint noui fortunæ alumni , appareat illarum potestatum deiectione , quibus si Sceptrum excipias , maxima quæque natura concesserat.

Sæpè etiam fit vt ex principibus viris aliqui , inuisos sibi in aula quosdam vultus ferre non possint : hos si Rex admittit , & maximè si amat , in partem odij succedit , eaque amicitiâ alienos facit à Majestate , eos omnes qui Regij amoris arbitros se constituunt ; neque ullos beneuolo Rege frui propè patiuntur , nisi quos probauit priuata eorum utilitas , Regumque gazis inhiās per varios astus ambitio . Potestati námque supremæ dare amicos , quos audiat , credat , sequatur , illam regere est , & solo suo deducere , insciām licet , fraudi-

que à quâ nihil suspicatur , aut timet , manus dantem.

Illud tamen si negatur , diligere scilicet Majestati familiares , qui illam , ex potentiorum præscripto , ad optata inflectant , in speciem iustissimi abitus , fingitur obfessum Regem iustioribus amicitijs non patere ; noxia illum inter gratiosos consilia sæpius agitare , quām ludicris (yt putatur) Regios labores solari : denique omnia in peius ruere : fidem non inueniri in aulâ : præcipuo sanguini infidias strui , quas declinare omnino nequeat nisi fuga præuerterit.

Spontanei deinde exilij rumor latè diffusus , illos omnes ad defectionem mouet , quos vel spes inanis diuturnâ expectatione in aulâ lassata , vel armorum libido ad quæstuosa scelera facit audaces . Mox serpente exemplo , alij atque alij inquis partibus accedunt , non defectorum amore ,

aut odio in Regem, sed delicti contagione, in eam vesaniam acti, quām veloci pede consequitur patriæ vastitas, & pœnitentiæ verecundia.

Iustissima etiam videtur causa capessendi arma, cùm principes viri nullâ noxâ detruduntur in carcerem, nec nisi publico tumultu possunt libertatem recuperare. Sed, quæso, nostrûm ne est inuestigare iure an iniuriâ teneantur illi, quos Rex recipi iussit in humanissimo præsidio, ad breue forsitan tempus suam clemenciam expectaturos?

Non omnis morbus in cute est. Intra vitalia ipsa quidam corpus inficiunt, quorum nullum in colore indicium. illos tamen peritus medicus ex aliâ significatione nouit & timet, & secretæ inualetudini remedia citus applicat, mirantibus inscijs, ad validi corporis habitum trepidare medicinam. Regnandi ars, non minùs

quàm illa Hipocratis, secretos Rei-publicæ morbos priùs intuetur, quàm multi illam ægrotare senserint ; & maximè populus, acerbi medicaminiis, cuius necessitas aut efficacia palam non est, malignus vt plurimum iudex , & gratiæ calumniator. Magnatum custodia in illis quandóque remedijs computanda est , quæ cùm minantibus malis obuiam eant , nec vltimam ægritudinem expectent vt euidentiùs prosint, superflua habentur ab ijs qui nulos esse morbos credunt , nisi procedant , & atrocitate suâ medicinam ipsam fatigent. An , aut quid peccauerint , quos Regia premit potestas , non est subditorum inquirere ; nam siue ex merito , siue per odium infœlices sunt , non licet patriæ excidio & sacramenti , quo tenemur , violatione illos demereri , quorum post carcerem libertas plerumque metuenda , & raro etiam in-

nocens, si non Regis ipsius munus  
est, sed plebis armatae beneficium.

Plurimi sunt, non diffiteor, qui  
sanguinis communione, quæ illis  
cum eiusmodi captiuis intercedit, in-  
fidelitatem suam pretextunt; viden-  
tur enim à naturâ ipsâ absolui, qui  
tuendi sanguinis causâ deficiunt à  
Majestate, nec in suum principem  
peccant, nisi, quia non peccare na-  
talium lege ad culpam propemodum  
adactos, affinitatis iniuria censem-  
& numeratur in probris. Sed priuatæ  
charitati publica semper præferenda  
est, neque in gratiam domesticæ for-  
tunæ manus umquam armanda in  
Regem, qui parentis loco cum ha-  
beatur, omnésque in sinum suum  
recepérunt, sine parricidio peti non  
potest.

Et vana omnino quæ à perduel-  
lionibus iactari solent, non Regi se  
esse infestos, quem sciunt summopere

colendum, sed in illos armari qui crudeli Reipublicæ administratione, miseram pacem, seque reos fecerunt. Manus enim Principis existimari debent, quicumque illo iubente publicis negotijs præficiuntur; neque fas est, in illis extensem Regem violare, qui velut Majestatis quidam radij amplissimâ dignitate, in longa spatia protensi, solem suum illustrat.

Regia dignitas folio suo non est affixa, magnitudine regnum æquat, etiam in ministris illis reuerenda, in quibus temperantiùs fulget. vetus est defectionis species, in remedium publicæ calamitatis armare, ut pessimorum hominum mala arte tanquam consopitus Rex, armorum fragore excitatus euigilet, & quid in pacato Regno peccauerit agnoscat tandem agitata authoritas. sed quis sub illâ laruâ turbulentam ambitionem non videat? translucens est velum quo

se existimat contegi armorum rabies , & proditionem ipsam prodit vestis araneosa. Regem suum , quietem suam,vulgaris summopere amans, non facilè armatur , nisi tuba illa boni publici multitudinis aures feriat, & clangore suo torporem illum excutiat,quo quisque domesticis negotijs ita affixus est , vt vix ad turbulentera sit mobilis. Quis miretur factiosos acrem buccinam,aptissimam bello , in suos usus accipere , & sono illo militari replere conquiescentes provincias, non priùs sensuras se in suam perniciem excitari , quàm bonorum suorum vastatione didicerint , vni Regi parendum,neque umquam sceleratà defectione ad fœlicitatem perueniri.

Multi equidem non hoc prætextu, qui plebem mouet , ad arma feruntur ; sed aut furenti charitate in defectionis authores , aut spe improbabâ

mercedis , quæ , fortius ipsâ virtute ,  
trahit inglorios ; sed omnium qui à  
Rege deflectunt æqualis ferè insania .  
Qualis enim illa charitas quæ fontis  
amici crimen fouet & infamiam ? quæ  
illi ad nocendum vires præbet , nec  
sinit fœliciter esse impotentem , vt ,  
etiam inuitus , ad officium suum re-  
deat ? Arma ministrare furiosis , non  
amicitiæ testimonium , sed dementiæ  
pars est , & crudelis miseratio , cui nul-  
la debetur gratia , vbi remisso ardo-  
re , iam sana mens sapienter iudicat  
de officijs . Neque adeo infatuantur  
partium duces , vt nesciant illos pec-  
care , qui suis copijs agglomerantur ,  
illos enim non magis prosocijs ha-  
bent , lquam pro incerti obsequij vi-  
ris , & ad quamlibet nouæ spei an-  
sam priora foedera eiuraturis , qui à  
Rege , cui ex conscientia deuincti  
sunt , desciscentes , illud effecerunt  
lubrica fide , vt etiam cùm sincere

obsequentes sunt, illorum tamen ha-  
beatur ambigua ingenuitas.

Cuius nominis sint apud probos  
isti homines, Inde videbis, quòd in  
caput suum peccant, nempè in Re-  
gem. Principem suum deferere, vt  
subditorum in illum audaciam nu-  
trias, turpissima labes, quam nec ip-  
sa victoria diluit, quomodo enim  
non probrofa scelerata fœlicitas? fla-  
gitia successu minimè nobilitantur,  
verùm in maius odium veniunt; nec  
ptæclare triumphus agitur de pro-  
stratis virtutibus.

Quàm fatuè autem illi omnes pec-  
cant, qui solius intuitu mercedis fa-  
cinatorosi sunt, nec nisi vtilitate tracti  
bonas partes defererent! pone ditif-  
simos esse illustres illos, qui spe in-  
escatos milites, veluti pisces ex alueo  
suo deducunt. An putas ita opulen-  
tos vt possint eos, quibus obstrin-  
guntur, remunerare; ita fideles, vt  
promissis

promissis suis maneant? torrentium  
instar est, priuatæ fortunæ opulen-  
tia, citò enim siccatur, fontem non  
habet, sicuti illa Regum, quæ tribu-  
tis perpetuo cursu manantibus lar-  
gissimè fluit, neque timet effundi.  
Deinde, non mireris, partâ pace mi-  
litares ferè omnes viros, qui inquis  
partibus accesserunt, ita furiosè do-  
lere, in ducibus suis eam omnino fi-  
dem desiderantes, quam nec ipsi ser-  
uauerunt. Construendis fornicibus  
curuaturæ quidem sunt necessariæ,  
sed mox ut vltimam manum artifex  
admouit operi, ligna amouet, nec  
illi curæ est, si ad alios vsus, iam inu-  
tilia sibi, comburantur & in fauillas  
abeant. magnatum à Rege abeun-  
tium, ambitiosis conatibus seruit vti-  
liter sperans miles, & futuri vanus ex-  
pectator ad præsentissima pericula  
quodcumque audet: sed quæ tandem  
vtilitas? admissi sceleris conscientia,

fama perfidiæ ; nec in solatium cri-  
minis amplior merces , quām illa, quā  
stolidissimus imperator Cajus copijs  
suis ad pelagi ripam illusit , longo  
itinere & pondere armorum defessas  
monens, vt in exacti laboris prēmium  
conchas tollerent. hic certè operæ  
præstitæ exitus , omnibus ijs , qui à  
iusto imperio ad adulterinam mili-  
tiam transgredientes, meruerunt for-  
titudine bellicâ , ipfisque vulneribus,  
ita à fortunâ destitui , vt quicumque  
illos viderit , perfidiam damnans , ta-  
men quia homo , ærumnosorum mi-  
sereatur , & in subsidium crudelis  
inopiar stipem præbeat. Non om-  
nino fortè infœlices , si ducum suo-  
rum vel aspectu reficerentur qui sub  
illis pugnauerunt : sed nemo tum  
suos agnoscit renouatis cum Rege  
fœderibus ; ne agnitis cogatur re-  
ferre gratiam , & quòd iam , Rege  
pacato , eos nosse , crimen sit ,

obliteratæque iniuriæ instauratio.

Quanto satius armis illis misceri quæ honestam pacem , & securam tibi pariunt , & cùm strepere desierint , dulci memoria animum tuum demulcent ; vt, cessantibus licet cæteris , iustissimi belli semper præmium fit , decus laboris , & imago præliorum . Verùm his non mouetur infania illa , quæ Principibus propè vniuersis negotium facessit . vbique plebs tumultuatur ; mutationibus , vt remedijs sibi succurri , furens expostulat , sceptræ laborant .

Sed ad alia festino majoraque , Religionem enim spectant ipsamque Ecclesiam . Quid? quòd in eâ etiam , videtur impatientia regiminis illius , cui parere , tamdiu Ratio fuit , pictas , conscientia?

Ad hæc promptissimè Marcellinus , vultu porrecto . prolixum iter aggrederis , ô Firmiane , neque enim

rem tantam paucis absolues : & tibi  
iam in primo gradu hærendum , non  
temnendæ quæstionis cursu , cuius  
occasione præbuisti. parce , si fe-  
stinantem te flecto ad aliud quām  
volueras. Numquam ita nautis ven-  
tus secundus , vt modicūm quandó-  
que à recto cursu ratem non auertat ,  
innoxia spirandi varietate , neque  
hoc flatus iniuria , sed ludus est : &  
viatoribus multa ex improviso oc-  
currunt , quæ non ingratè morantur  
properantes.

Fieri ne potest , ô Firmiane , vt il-  
le sit in Ecclesia , qui ipsius regimini  
inobsequentem se præbet , & ita Ca-  
tholicum agit , vt non moueatur ad  
imperium iustissimæ potestatis? Cui  
ego ; Impetum meum fregisti , mi  
Marcelline , quia tamen quæstionem  
hanc , non impedimentum viæ , sed  
leuem deflexum neque iniucundum  
forè dixisti , declino libens , ad in-

cœpta , mox vt tibi fecero satis , re-  
diturus .

Non statim vt filius patri suo mole-  
stus est , ab illo abdicatur . improbum  
hæredem diu fert diligentis patien-  
tia , ipsâque naturâ iubente , multis  
laceſſitur iniurijs , antequam odio  
cedat victa charitas . Idem planè exi-  
ſtimandum de Ecclesia Christi . Non  
omnis qui præcepta eius abijcit ab ea  
est alienus ; multos fouet mater opti-  
ma , quos tamen patitur ; niſi enim  
veritatis hostes effecti , errori ſe de-  
dant , pro ſuis habet , & hoc maxi-  
mum amoris argumentum , quod  
etiam peruersis moribus infames , ex  
ſolo fidei charactere , ab externis ſe-  
cernit , & in prole ſua numerat . quan-  
ti ſunt qui in ſinu eius manentes ,  
pijſſimam parentem intimis dolori-  
bus torquent , vt eos concepiffe fru-  
ctus vnicus sit , fœcunditatis propè  
tedium , & mœroris acerbitas ? In-

ter sœuissimos cruciatus suspirantem  
Gen. c. 25. sæpè audies , si sic mihi futurum erat  
quid necesse fuit concipere ? num-  
quam tamen præ dolore insanien-  
tem , nec eò adductam vt crudeles fi-  
lios non agnoscat , ipsa crudelis. Vi-  
des, Marcelline , vt aliquis potest esse  
in Ecclesia ad tormentum ipsius ; si  
scilicet , eadem , quæ cæteri Catholi-  
corum , fidei integritate profiteatur,  
& tamen perditis , aut inquietis mo-  
ribus , suauissimam matrem flere co-  
gat atque discruciet. Plures sunt , ne  
dubita , qui ingenti motu concutiunt  
latera matris , quos tamen illa non ex-  
cutit , sponsi sui memor , cuius quo-  
que nulla esset sine patientiâ paterni-  
tas. hâc enim , & filij Christo nascun-  
tur , & scribuntur hæredes illius ; &  
si vitâ excesserint , iterum datur oc-  
cisis posse viuere , sed de his satis.  
Nunc ad propositum reuertamur. re-  
gentem Ecclesiam multi iam ex ijs ,

quos fideles nominamus, vix ferunt.

Omnibus mobilibus mobiliorem esse sapientiam ex oraculo accepimus, idque ipse usus declarat; sapientia enim immota licet in se, nec ad opinionem flexilis, ipsis tamen temporibus ita aptatur, & seruit, ut possis dicere cum eis volui. legem dat ipsa quidem, sed & sequitur, neque dignitatis iniuriam putat, eâ suauitate regendis praesesse, vt ipsa vis quam cuncta sibi facit obnoxia, & ad finem suum veluti trahit, sit potestas simul, & obsequium. hanc in Ecclesia sapientiam admirari æquum est. quid illa constantius, quid mobilius? inconcussis principijs nixa, nec à Recto per tot saecula aberrans, quam diuersa tamen, seu statuit rigida, seu benignior permisit pro temporum varietate?

Olim Ecclesia in reos saeuissime animaduertebat, diutina corporis

animique afflictione vix placabilis. hæc priscæ ætati debebatur seueritas: gentilium enim calumnijs tum infamis erat Christiana Religio, & reorum notissimis pœnis, abstergenda labes illa, falsumque voluptatis nomen, quod Christi, non minus, quam Epicuri, nascentem scholam maculabat apud ignaros infideles.

Neque soli famæ seruiebat disciplina illa robustior, fragiles animos prohibebat iterum labi in cultum inanum Deorum, eâ duritate ostendens, eos qui deliquerint, quique desæuiente persecutioe cum immani fiducia reddituri erant ad Christum, nisi ingentibus pœnis maceratos, & purgatos in fidelium cœtum non admitti; ista siebat, ut qui ad Imperatorum minas à constantiâ dimoueri potuissent, alio timore in Ecclesia detinerentur.

Accedunt & aliæ rationes. Illis

temporibus Christianorum pietas  
multo fortior ; & quia nascens, fon-  
ti proxima, hanc ab eo deriuabat ve-  
hementiam ; & quia ipsis persecutio-  
nibus incitata , militarem animum  
quodammodo induerat , ad labores  
habilis , & ardua quæque , ex belli  
Genio , non ferens tantum sed am-  
plexans. Sicuti projectorum circa  
initia violentior est impetus , ita &  
pietatis , diuturnitate ipsâ hebescit ,  
& in suo cursu frangitur. Olim aui-  
da pœnæ , illam expectabat intrepida,  
prouocabâtque; tantus enim erat ,  
incipiente Euangeliô suppliciorum  
ardor , vt ex dolore æstimaretur fœ-  
licitas. paucos hodie amatores pœna  
habet , neque iam , voluptatis instar ,  
animos trahit ; terret posteros , & sa-  
pienter Ecclesia sequentium sœculo-  
rum saluti consuluit , cum eiusmodi  
reis suauius agens , qui pauere idonei  
magis quam pati , ad sacrum tribunal

accedere vix audent , nisi iustitiæ clementiæque quadam mixturâ , prope modum inuitentur ad veniam.

Non ea est sœculi nostri pietas , vt culparum condonationem per longa supplicia quærat , aut probrosam sub plébis aspectu , & in templorum vestibulis pœnitentiam . vehementi flatu sæpè extinguitur , non incitatur ignis ; & fit periculum animorum nimirius rigor , quo terribilis adeo redditur sanitas , vt vix apud imparatos trementésque sit ipsius desiderium .

Non morbi solius naturam , aut deficientis corporis habitum spectat solers medicus ; quo in statu astra sint , qualis tum , sole recepto , inconstans lunæ facies ; splendere illa incipiat , an perfecto orbe potentiùs in hæc inferiora vim suam effundat , percontari omnino opus est ; quòd si negligas , ars bona , vt plurimum peccat , inconsultis temporibus . Eclypsim in

cælo non aduertisse , sæpè fuit vitæ pericitantis , cuius adhuc in ægroto indemnata spes , Eclypsis peior ; & , si malè curantem medicum spectare libet , famæ quoque defectio . Regendis animis hanc à primo æuo Ecclesia diligentiam adhibuit , vt non indiscretè cuiuslibet ætatis eadem esset seu austерitas , seu indulgentia ; prouiditque , vt ijs qui causticis curandi essent , ita sœuitiâ succurreretur , vt infirmioribus posteris non perirent illa remedia , quæ minori sensuum horrore sanitatem restituunt .

Eiusdem potestatis est , nubium fragoribus sceleratos ad Religionem cogere , & serenare tempestates . Quis iuste culpet Ecclesiam , quòd olim in reorum supplicia acriùs incumbens , nunc indignata , adeo suauiter minatur & ferit , vt columbam putas sine felle sœuientem ?

Certè ipse Deus , vt ex sacra pagi-

na liquet , non tantum quid meriti  
sint peccatores, sed quid ferrè queant,  
pensat ; neque prius pœnas mortali-  
bus decernit, quām consulat nostram  
patientiam , vt , si aliquando flen-  
dum , potus ille amarulentus ita tri-  
buatur nobis in lacrymis , sic ait  
<sup>Ps.79.</sup> Propheta , vt etiam in mensura.  
Euentus humanos dixit quidam cœ-  
lestium orbium imitationes , nihil-  
que apud nos agi , cuius in definien-  
tibus stellis imago quædam non præ-  
cesserit. verius hoc de Ecclesia : quid-  
quid enim facit , descriptio est ideæ  
illius , quam in ipso Deo intuetur ,  
vt ad superni Regiminis formam ,  
suum dirigat ; discatque ab eo , & vti-  
liter peccantibus irasci , cùm terran-  
di sunt , & ponere iras , cùm de leni-  
tate plus speratur subsidij. Ita fit , vt  
audacioribus animis , neq; satis suum  
scelus æstimantibus , claudatur sacra-  
mentorum ianua ; pateatque illis ,

quos adeò terret meritæ pœnæ acerbitas , vt in fraðtæ mentis leuamentum adhiberi debeat , quædam cum asperitate miseratio .

Nostra tempestate Ecclesia tempori parcens , reos non iubet sacco deturpatos & cinere , pedibus templum intrantium miserabiliter aduolui , lambere humum , & septenni v lulatu deprecari pacem suam . vt lacrymas pœnitentis animæ videt , gemit ipsa , mixtisque fletibus , prohibet diuinæ miserationis spem abijcere , immanibus licet flagitijs obstrictam ; Christique exemplum secura , ita infirmos curat , vt cum illis infirmetur .

Hos Ecclesiæ Dei suauissimos mores , plurimi ex nostris ferre non posunt , consueti regiminis impatiens , & , quod certè nostra posteritas vix credat , acrior de humanitate conquestio fuit , quam de ipsa sæuitie ,

sub publicæ libertatis oppressionibus  
vmquam esse potuisset. Quis sæculi  
nostrí Genium , in hoc negotio non  
aduertat , non admiretur ? quia mi-  
sericors Ecclesia , non quia fulmini-  
bus atrox , & sua potestate vtens , iam  
in culpâ est , & nisi duram se gemen-  
tibus filijs præstet , nouerca æstima-  
tur non mater.

Bibliothecas scrutare ; in ijs libros  
inuenies , qui perplexâ phrasi , ver-  
bisque pendentibus , adeò subtiliter  
queruntur , de hodiernâ sacræ pote-  
statis administratione , vt callidæ  
mentis stilus anceps , & flexuosus ,  
videri possit , non ecclesiæ præsentis  
calumnia , sed ipsimet supplicatio .

Qui verius humani generis hostes ,  
quàm qui misericordiam tollunt , &  
qui noui *μωσίαν θραπετού* cruces publi-  
cas in prædio suo ostentant , quasi  
non sufficiat in admissi sceleris vin-  
dictam , priuatum funus. Peccanti-

bus suadere pœnitentiam, res ardua:  
illud enim odiſſe quod placet, maxi-  
mum est voluntatis humanæ crucia-  
mentum: ipsa vitalia attingit dolor  
ille, & si huic accedat, non pensata  
prudentiæ lege aut ipsorum tempo-  
rum vſu, ex sacerdotum longa ſæui-  
tie præter modum premens alius do-  
lor, timendum eſt, ne tanto oneri  
impar natura, excutiat omnem illam  
acerbitatem, quâ ſalus parabatur.

Famosissimi dogmatis authores  
neque promo, neque verbis atro-  
cioribus insequor, vobis enim oſten-  
diſſe ſufficit, ex ſeculi Genio non  
paucos regimen Ecclesiæ, cuius iam psalm.  
ſenectus eſt in misericordia vberi, vt  
scripturæ verbis vtar, mutare vo-  
luisse.

Legiftis delicateſtam duorum capi-  
tum assertionem? Nouumque diui  
Pauli encomium, quo ille imperan-  
ti Petro ita coniugatur, vt quis ex

duobus sumimam in animas potestatem acceperit non agnoscas? tale ferè est apud poëtam.

Remo cum fratre Quirinus,  
Iura dabant.

Quis vnitatem sub bino capite speret? cùm & Roma ipsa, ideo cruentis initij nascentem gloriam maculauerit, quia biceps, neque ab effusâ inter pares altissimâ illâ potestate sperari potest vno in Regno concordia. hæretici Ecclesiam corpus volunt sine capite, illi bifurcam effere, vt sit in duobus suprema pars, veluti in assurgentibus ramis, qui è trunco æquali robore erumpentes, dici non ineptè possunt summitates duæ, vnica arbor.

Si Paulus caput Ecclesiæ cum Petro, cur non & Ioannes? vt triade Ecclesiasticâ, æternam trinitatem sacro numero quasi æmulatâ, nouam hanc Religiosa plebs Symbolo addat fidei

fidei suæ confessionem , Dominus Petrus, Dominus Paulus, Dominus Ioannes, & tamen non tres Domini sed vnuſ est Dominus , & in hac Trinitate nihil prius aut posterius , nihil maius aut minus , sed totæ tres personæ coelestæ simul & coæquales. Non enim major ratio cur Ecclesia, si & à figuris Poëtarum exemplum deducere libet , bifrontem potius Ianum , quam tergeminum Gerionem numerositate capitum adumbret.

Verūm , non stabit diu trina illa & vna authoritas ; cùm eodem iure cæteri Apostoli , in illam celsitudinem assumi debeant , ad quam duo peruererint , Petri solitudinem in vastissima sede , quæ plures capere possit , subleuaturi doctrinam hanc excipit latissima consequentia ; quotquot enim duodecim Apostolorum erunt successores , eâ potestatis æqualitate , ita corpori Ecclesiastico præficien-

tur, ut nec Petri singularis prærogatiua supra illos emineat. Quanta inde mala secutura sint nemo explicit. Nullus linearum concursus fit, nisi in centro, Centrum autem istud punctum est. Christiani, quibus lex ipsa unitas, non sunt vnum nisi in uno; & si extra Petrum alios quoque ostendas, in quos refundi oporteat; nullus, ubi tot metæ, fidelium erit accessus; & si de Religione erumpat quæstio, in diuersa spargentur. Plurimi tamen, siue infœlici sermonis non satis enodati texturâ, siue animo noua moliendi, æquales per omnia socios Petro dedere, & quasi tæderet potestatis illius quam pulcherrimè nectuntur effusæ per orbem Ecclesiæ membra, ea plebi proposuerunt, quæ si amplectatur, nulla major spectanda quies, quam acus quæ contactu magnetis, accepto in polum amore, quia tamen circumstante ferro trahi-

tur , tremit incerta , & quam cœli  
partem respiciat inuenire non potest.

Quis fulminum Apostolicorum ,  
quis diplomatum contemptus ? iam  
despexisse quidquid à suprema Sede  
emanat , vis animi est , aut etiam pri-  
uilegium : proh dolor ! Et iudices  
habet apud subditos suos summum  
illud potestatis culmen , neque da-  
tur sæpiissimè ijs armis vti , quæ illi à  
Deo concessa sunt , vt feriat contu-  
maces ! ad frangendum iustissimæ  
iræ impetum , alia opponuntur tri-  
bunalia : etiam repugnans , dolensque  
ad non sua propemodum cogi , in-  
uocatur sæpè à reis politica potestas ;  
& legibus ipsis succurritur afflœtæ  
pro meritis impietati !

Inferioribus Prælatis major fortè  
reuerentia ? ne credite , amici ; quæ  
Nili sors , ea & cuiusdam fontis , qui  
non procul ab eo est . Incrementa  
enim sua habet , suosque defectus pa-

titur eadem prorsus lege, quæ ingen-  
tem flum, seruatis quibusdam sa-  
pientis naufragij gradibus, stagnare  
facit, aut in alueo suo continet.  
Quod summus Pontifex, hoc & Epi-  
scopi ab inferiobus suis non rarò per-  
ferunt. Ijsdem catenis impedita,  
vix se in nocentes explicat sacra illo-  
rum potestas; aliquis semper De-  
mosthenes qui ab altaribus ad Areo-  
pagum prouocat, ut quælibet Diæ-  
cesis, totius orbis Ecclesiastici, in  
quo tot animæ rebellant, imago vi-  
deatur.

Ad minutiora descendere non est  
animus, ne Regularium in suos Præ-  
latos insurgentium, diuersis in locis  
frequentes procellas, virginumque  
certamina ideo memorasse credar, ut  
religiosæ solitudinis amore ducti, ab  
eo vitæ instituto deflestant, in quo  
virtus facilior. Muros ipsos, ferrum-  
que quod spississimum in pudoris cu-

stodiam , vbi cumque lumini patet  
via , adhibitum est , perusit hæc pe-  
stis ; nec iam sine bello est , in ipsa  
quietis sede , imbellis sexus .

Sibi hæc explicari postulabat Fœ-  
lix , sed iam effusior sermo ad alia ,  
suâ prolixitate inuitabat : quasi dato  
signo simul omnes consurrexere , ne-  
mōque non fuit qui Genium istum  
damnaret , quo soliti Regiminis iu-  
stissimus ordo turbatur .

Paucis deinde de re familiari simul  
habitibus , Agathoni abire placuit , po-  
stera die cum Fœlice reuersuro , &  
vt charissimorum virorum ardentior  
esset reditus , promisi , si vacaret , ea  
me de sæculi Genio postridie dictu-  
rum , quæ ipſi non expectarent .



THEOLGGIÆ  
CIVIS DAM NOVÆ  
PERICVLOSA SVBLIMITAS.

TERTIA DISSERTATIO.

**H**ORTVS erat in suburbis amœnissimus, quem omni spectabilem, seu artis, seu naturæ varietate, nouus patris hæres Apollonius possidebat, studiorum confortio, & ipse nobis coniunctissimus. Illic non modò flores, qui apud nos colore aut odoribus præstant, verùm & ex peregrinis præcipui visebantur, quos ad alieni soli patientiam adduxit, nostræ ætatis diligētia. Neque minori studio vndique collectæ arbores quotquot fructibus

vtiles sunt, ex consilio in diuersa distributæ, vt non vnius partis tota esset fœcunditas. plures tamen in viridarij ambitu muris affixaे opportunity sole fruebantur, & fructuum maturescentium colore prouecto, ad præsentiorem voluptarem inuitabant intuentes.

Non molles ex fronde portieus ; non statuæ dispensatis per fistulas aquis manantes , pulcherimo loco deerant ; non in multos passus ambulationes producτæ ; non denique , ad solitudinem inter densissimas arbores furtiui recessus : vt siue confabulari velles , siue extra conspectum spatiari , necessarijs curis sine teste intentior , dissimilis voluptas iucundissimâ successione afficeret diuersa cipientem.

Æquiores certè fuere , qui Musis quam qui Priapo hortos sacrauerunt, floribus enim cōuenientior honestas

quam turpitudo ; nullaque est , vbi  
ad vitia accessus sit, nisi cœnosa amœ-  
nitas. Iucundissimi loci vicinitate ,  
plus autem multò Apollonij grati-  
fima consuetudine adducti , in hunc  
diuertere soliti eramus, vt inter Phi-  
losophiæ tristiora theorematâ quæ ex  
proposito quandoque agitanda no-  
bis essent, captaremus etiam non inu-  
tiles delicias.

Nobis penè inscijs breuissimum  
iter confectum est , ita singulos fal-  
lente amicitia , suavitatéque sermo-  
nis , vt priùs nos aduentasse , quām  
aduenturos senserimus. referatis fo-  
ribus , admonitus à seruulo Apollo-  
nius , vt me vidit ; illâ vultus hilari-  
tate , quæ honestissimo viro solita  
erat , in amplexus ruens , cæteris non  
insalutatis , rogauit quid valerem.  
Inutilem quæstionē , inquio , ô Apol-  
loni : nullus enim morbus , vbi pro  
Æsculapio tanta comitas ; quis te vi-

so non conualeſcat? & verè tu ægri-  
tudinum mearum ſolatium ſingula-  
re. ſed quid flores tui, quid arbores,  
quarum tu cultor eximius inter cæ-  
teros haberis, non indignâ natalibus  
tuis diligentia, nam & aliquando ip-  
ſos Reges tenuit ſtrpium colenda-  
rum curiositas, id in Regno poſteà  
vtiliter obſeruaturos, quod in hortis  
didiciffent; vbi nihil pro votis re-  
ſpondet labori, niſi temporis exa-  
ctissima ratio habeatur, ſiue iuuanda  
ſit ſterilium arborum paupertas, ſiue  
diuitum, inutili lignorum copia laſ-  
ciuentium caſtiganda luxuries.

Meliùs videbis quam audies, in-  
quit Apollonius; ſed nescio, an de  
euellenda arbore, quam hic cernis  
proceriſſimam, conſilium probatu-  
rus ſis. diu eſt quod illam fero; pla-  
cet enim foliorum pulchritudine; &  
licet fructibus orba, quia tamen fa-  
ſtigio ſuo domum meam ſignat, di-

gna visa est cui parcerem : & neque illi nunc deesset mea clementia , nisi illam infœlicis cuiusdam pueri , qui ab ea nuper cecidit , acerba mors , fœnestrast effecisset. Omnes censuimus tollendam velut inutilem ; umbrâ que suâ noxiā stirpibus multis , quæ numquam lætæ nisi sole perfundantur. Post hæc sub patulâ fago sedentibus , inquirere placuit , qua de re haberetur inter nos sermo ; memóriæ Agatho , quid pridie essem pollicitus , monuit ut de Genio sœculi , si Apollonio videretur , differerem. Illo annuente. Argumentum , inquio , dabit ex occasione infausta arbor , cuius proceritas damnata est. planè ad sœculi gustum sublimis quædam Theologia , nec ad sobrietatem sapiens ; destituta fructibus , folijs diues , & multorum danno infamis.

Ea tractandi , quæ nobis Deo revealante innotescunt , quidam modus

est, temperatus, securus, in ipsa sui eleuatione humilis; & licet generoso impetu supra mortale aliquid tentans, numquam tamen sine metu, & quadam sermonis verecundia. alias præceps, audax, sibi legem imponi adeò non ferens, ut nisi inconcessis non gaudeat. hic, quia indecorè a surgit, primo frigidissimus est; sicut enim quorundam montium iuga perpetua hyeme canescunt, quia fastigium non attingit radiorum solis, quæ in imo sit, reflexio, ipsisque nubibus miscetur improbus vertex; ita modus ille eleuatiōr, suas alit nubes, altitudine ipsâ gelidus; ad tumorem enim istum non peruenit ardor Euangeli. Deinde, temeritas illa locutionis, fulminibus vicina, non raro feritur, in eam scandendo regionem, quæ suppliciorum officina est, & cœlestis iræ penus. Quàm sæpè enim anathemate icti sunt, qui su-

perbiā inflati , ea loqui erubuerant,  
quæ ipsis essent cæterisque commu-  
nia? in negotio Religionis, vix hu-  
militate peccatur , ascensu sæpè.

Verūm vt huius argumenti series  
planior fiat atque iucundior ; illud  
meminisse opus est ; quoddam nostra  
tempestate inueniri hominum ge-  
nus , qui Theologiam , quòd squali-  
da , iacens , & scholæ anterioribus  
formulis inquinata videretur , nobi-  
litauere , illam scilicet miserati , cu-  
ius nullum nisi ab ipsis auxilium spe-  
raretur.

Horum studio, sollicitudine , li-  
bris , adeo quotidiè purgatur Chri-  
stiana veritas ; vt quæ restat pars eius  
tenuior , vñibus humanis propemo-  
dum non seruiat , postquam crassior  
illa euacuata est , quæ delicatis inge-  
nijs , scholæque rusticitatem fasti-  
dientibus , tedium facit. Quod nunc  
Theologia fidenter loquitur , illo-

rum est etiam , beneficium ; quòd alta petit , quòd doctrinæ trepidantis deridet metus , & ignauos labores . Duplex certè gratia , nam illorum ope habemus generosam , suauissimam - que Theologiam ; quid illa iam fortius ? quid comptius ? quidquid priscis temporibus habuit confragosum , triste , auribus dissonum , ita sustulere homines illi , ut iam ad aulæ delicias accedat , & miris expolita modis , eorum suffragio digna censeatur , quibus rigida non placent . hac doctrinæ officiosissima cultura , non mediocriter illustres sunt apud multos eruditii illi , ipso etiam incessu aliquid mysticum & insolens spirantes , vt ex doctrinæ præceptis nemo nesciat , non illorum modò animos , sed & artus componi .

Antequam dulciculæ huius fidentissimæque literaturæ , periculosaſ consequentias refero , operæ pretium

erit non ignorare , vnde nobis ista nouitas , ex qua iam plurima prodierunt non sapida , nec ad gustum Ecclesiæ. Germanos aiunt , cum à vino ad studium diuinorum , madidi adhuc , transiissent ; audaces illas loquendi formulas primùm excogitasse , quibus trita nimis , suíque fastigij negligens Theologia , gloriosè intumesceret . qui ex nostris eos imitati sunt , doctrinæ quoque intemperanti amore ducti videntur : eam enim populus veneratione dignam propè non censet , inquiunt , nisi multum emineat , suoque splendore , intuentium oculos ita perstringat , ut non dies , sed nox quædam illustris illud omne sit , ad quod auditores cæciunt. Verum planè . sæpè non instrui in ijs quæ de Deo , sed rapi vult , fatua plebs , ridiculè ambitiosa ; & hoc summopere placet , si extra se quasi posita & stupens , ali-

qnid eorum confusè capiat, quæ præalta, & nisi sublimioribus ingenijis non patentia, facultatem eius superant. Sed an ideo Theologus ebrio stylo infamabit sobrietatem Euan-gelij, quia portentis non rationum vi, aut sapienti eruditione, in admirationem adducitur, absurdum vulgus?

Hâc sermonis intemperie præci-pue delectatur quarumdam mulier-cularum vana pietas, in cuius gratiam inuentum ex parte creditur balneum istud, quo doctrinam veterem, iam-que obsoletam, Æsonis instar, ita iu-uenili formæ restitui autumant, ut rugarum, pristinæque imbecillitatis, vestigium nullum in renouatâ fron-te appareat. Non ergo mirum no-uatores, ceu interpolatores vocari eos, qui iniucundam, totque annis grauem Theologiam adolescentiæ flore vesciunt, eoque depingunt co-

lore , quem in ætate viuida efficere  
solet recens calor , fususque in tumi-  
das venas sanguis efferuens.

Septentrionales Theologos certè  
vidimus , hoc cothurno incedentes ,  
& in ijs quosdam , qui cùm nimis al-  
ta saperent , meruerunt religiosi fa-  
stus pœnas luere , & inter eos seponi ,  
quos moderationi schola non fert , nec  
Ecclesia admittit . Consultiùs multò  
insulares Phœnomænij loquuntur &  
docent , ô Amici , isti namque rerum  
arcana , sermonisque eminentiam ita  
affectant , vt ab Ecclesia alienos ar-  
bitrari , ex illa seu verâ , seu creditâ ,  
cultissimè eruditionis sublimitate , iu-  
re non possis . eâ enim prudentiâ au-  
daces sunt , vt licet casuros ælti-  
mes , sæpè tamen solùm suspendan-  
tur non cadant ; gaudeantque ad  
nobilissimum conatum sub se tremere ,  
non abiectam modò plebem ,  
sed & eos omnes , quos timidior  
eruditio

eruditio prohibet inaccessa scrutari.

Ad nouæ gentis incognitum sibi nomen, hærens Agatho, petijt, quæ verò pars orbis, volatiles viros ale- ret. adiecitque se non satis mirari, quod euolutis penè omnium natio- num historijs, hæc tamen gens do- gmatum suavitate sublimitatéque in- clyta, attentissimum lectorem præ- terijsset. hæc ille paucis, ne interrum- pere narrationem videretur. tum ego. Thomæ Mori opus legisti, Agatho, vbi de Republica vir eximius, ita do- cte suauiterque, ut nec Platonis elo- quentiam, nec Aristotelis grauita- tem desideres, in exiguo volumine p- scis quantum laudis tribuat utopiac suæ insularibus, sub optimo cælo ita pacem virtutésque colentibus, ut nusquam strictiori nexu copulata sit pie- tati fœlicitas? non longè ab hac insu- la, culus meminit Morus, alia est, Phœnomeniam vocant, minori quin-

dem spatio in oceanum porrecta, sed  
incolarum quiete planè mirabilis.  
portus vnicus, in quem quotidie di-  
uersa nauigia, ex omnibus orbis par-  
tibus, homines ciuilibus molestijs,  
& plerumque belli varijs periculis  
lassos, deponunt, in amœnissima ter-  
ra dulcissimè acquieturos, non illic  
casæ humiles, spissatis ramalibus, &  
fronde congestâ, fcelicem insulam  
deformant: sedes laxæ, nitentesque,  
ut scias nullos hîc esse, quibus pla-  
ceat rigida virtus vel pannosa pau-  
pertas: vestis cærulea delicatissimis ci-  
uibus, ut cœlestes ex habitu noueris,  
quos tamen magistro Porphyrio di-  
cere possis purpureos. Primus enim  
placidæ vitæ sectator Porphyrius,  
cæteros quibus vel tumultuosa ne-  
gotijs vita, vel pietas corpori grauis,  
exosa esset, ad quietem vocauit. In-  
sula hæc yisionum ferax altera Path-  
mosest, pauci enim sunt ex incolis;

qui non plura videant, maximè in rebus diuinis, quàm cæteri mortaliū. hîc, liberrima Theologia Angelorum choris se immiscet, non priùs è fastigio descensura, quàm dicerit quod Diuus Thomas Sorbonaque stupeant, cæterique qui schołæ terminis mancipati, arctissimè sentientes, tamen pro magistris habentur.

Numquam me, inquit Agatho, paterni soli cœpit impatientia, aut ardor ea apud exteris videndi, quorum breuissimus conspectus longâ peregrinatione, multisque periculis emitur. totum orbem Cosmographi mihi exhibent, quoties placet effusi in tabula orbis, diuersissimas regiones intueri. commodius libris, quàm nauibus, aut equis vehor, ô Firmiane; eorum enim quotidie ope inter ciuiles populos ago, ab eis rationem vitæ excepturus, variamque sapien-

H ij

tiam : mox in plagas deteriores migrans , efferatis gentibus ita admisceor , vt illorum immanitatem non induam , & redire semper mihi liceat . Sic apud Hispanos versatus sum , sic apud Sueuos , neque me vñquam seu vicinitas solis , seu absentia impulit , aut calori succensere , aut de niuibus queri .

In eo otio , omnia climata perlustrare summa voluptas est ; neque maceratur gaudium istud , amicorum desiderio ; morbis , qui persæpe sub diuerso cœlo frequentes sunt , ant variorum discriminum , siue admixtione , siue metu . Ad iucundissimam profectionem , non , vt in alijs , requiritur commodiorum tempestatum obseruatio ; diuturnitas temporis ; viaticum ; sociorum delectus , vt securior pergas , atque hilarior . vnâ horâ , nec illâ anxiè quæsitâ , plures regiones obis , securus , latus , iei-

nus, & quod itineris huiuscē maximum leuamentum est, solus, quia tamen, ô Firmiane, Phœnomænia insula eminentis Theologiæ sedes est, & Suadæ veluti thronus, ad cāmque pernauigare omnino necessarium, vt animus venustissimā doctrinā imbuatur, dilectā patriā excedere, iam in mente est, interiacente licet pelago, & sœua minantibus ventis. Ibo Firmiane, si qua nauis in eam regionem vela aptauerit, nec ardorem properatis, temperabit fluctuum hyems. Ibo, & sublimes materias, grandia verba, fonti applicitus, ita hauriam, vt si aliquando ad vos ex nobili peregrinatione recursus est, numquam satis mea sensa, meas visiones, meam denique elocutionem suspiciatis.

Tam cito, inquit Apollonius, relinquendi amicos consilium subit, Agatho, nondum nauis instructa

H iii

qua possis vehi , & licet iam in portu  
te expectatura consisteret, iter tamen  
tibi omnino incertum , nisi ab ipso  
Firmiano , qui mutandæ sedis tibi au-  
thor est , nauclerum accipias ; nam  
ex Thoma Moro , quem ille ituris  
veluti nauarchum proposuit , viæ ra-  
tionem ne speraueris; Vtopiam quæ,  
Phœnomeniæ finitima est , ex nomi-  
ne legibusque sapientissimis ille qui-  
dem nouit , sed quâ orbis parte , se in-  
ter fl. Etus latissimè explicet diues in-  
sula , prorsus ignorat ; non aliam dans  
curiosis posteris huius inscitiæ cau-  
sam egregius vir , quàm quod volu-  
ptate captus , dum ei sapientis popu-  
li , iustitiam , pietatem , placidos mo-  
res , vir quidam , qui diu illam terram  
incoluerat , iucundâ oratione apud  
ipsum commendaret , non venerit in  
mentem , quærere quem in orbe si-  
tum obtineret illa regio cuius tanta  
fœlicitas .

Cæteri eadem ferè quæ Apollo-nius, Agathoni ingerebant, qui ani-mi gratiâ hunc simulasse affectum postquam iucundè fassus est, sibi quoque postulauit dari veniam, quòd ea fictione turbasset differen-tem. Gratiösâ culpâ ( inquio ) nos exhilarasti Agatho, & ad Phænomæ-nios, reuersio facilis est. multa de insulæ huius fœlicitate mihi relata sunt, neque durus auditor cunctatus sum ea omnia credere, quæ laudabilem illam efficiunt. sed cui causæ assi-gnem ( ô Amici ) quòd penè omnes qui ex ea regione ad nos reuertuntur, morbo quodam laborant, cuius nul-la apud Hypocratem mentio ? Inua-letudinis mira species, plus animo quām corpori nocens, neque arte vla-la aut temporum lapsu curabilis ! qui hoc malo sunt affecti, non coloris natiui defectu, non adducta cute, non solutione artuum, sed immani pror-

H iiiij

fus gustu deprehenduntur, non ferente communes cibos, & in solatium quærente, quicquid duce naturâ cæteri mortales horrent. Immaturis enim fructibus, nouitio vino, calido pane, tantus est recentium amor, latrantem stomachum farciunt, nihilque morbidis hominibus placet nisi houitas. Illos ideo ad epulas pauci inuitant, ne conuiuis, fastidio suo, oneri sint, tetramque salubrium reruni abstinentiam videre cogantur, qui visualibus, probatisque communis hominum suffragio cibis assueuerunt. Sed de Phænomenijs satis, relinquimus illis suam insulam, suas visiones, suam quietem. Melius in ipsa Gallia Theologiæ operam dabimus, quam in illa regione, ubi saepius nec doctrina probabilis est, nec secura contemplatio.

Eruditione audaci nihil perniciosius, periculis non sistitur, non ter-

retur, sed irritatur; dum frequenter assurgit, Icario more, pennas amittit in sublimi, & fœdissimo casu luit pœnas temeritatis. Ex altissima turri spectantibus incerta oculorū acies est, agitatur enim vertigine cerebrū, & in tanto motu non constat nerorum firmitas qui visum efficiunt: idem puta accidere Theologis illis qui periculosa contemplatione, se cœlestibus inferuerunt; neque enim est illis stabile lumen, raroque ut cæteri vident, qui cæteros in depresso reliquere ut ex altiori videant.

Origenes dum litteram fastidit, patrisque sapientissimi monentis, ut à sublimioribus abstineret, consilia non sequitur, fit hæreticus, histriam penè omnem in allegoriam vertens, Catholicus certè, si humilior. Faustus dum de vnitate Dei scribit luculentissima, nouis identidem sententijs quasi gradibus ascendens, ad

hoc tandem peruenit, vt diceret, vni-  
tati supremæ maximam fieri iniu-  
riam, si quis credat multiplicem re-  
rum corporalium varietatem, homi-  
nesque ipsos, qui ætate, patriâ, se-  
xu, diuiduntur, ab illa procedere. In  
baptismo quidem, vbi non est, Iu-  
dæus & Græcus, Barbarus & Scytha,  
sed omnes vnum sunt, opus Dei  
agnosci ; at non in primâ illâ crea-  
tione, vbi genus humanum, diuer-  
sissimis conditionibus à seipso quasi  
dissentit, & in partes secatur. paucos  
videbis ex ijs, quos pudet cum mo-  
destioribus sentire, qui tandem ele-  
uatione ipsa non euaneant. sed vel-  
lete loqui video, ô Fœlix, caue ne  
vt defensor temerariæ contemplacio-  
nis, quæ iudices meretur non pa-  
tronos.

Fœlix dicere iussus quod festina-  
bat effundere : omnemne Firmiane,  
ait, impetum damnas, quo animus

sublimis & supra se nitens, elementis  
se absoluit ? authores sunt magni  
nominis qui volucrem conatum dis-  
ciplinam etiam effecere , & , velut  
Aquilæ matres , solem ipsum è vici-  
no intueri ausi sunt, vt timidior fœ-  
tus & ad pulcherrimam lucem im-  
modicè pauens , pari fiduciâ exem-  
plum sequeretur. Aliquis ne altior  
Dionysio , qui quasi Angelorum cæ-  
tibus interfuiisset , tam sublimia fa-  
tur de cœlesti Hierarchia , diuinis-  
que nominibus , vt nemo illum ca-  
piat , nisi qui timore projecto alta  
petit ut sequatur disputantem.

Appollonius,auido silentio, oculis,  
gestu cōsentiebat;nec dispari affectu,  
Agatho noster exultans , quid refer-  
rem expectabat. Et cum tribus ergo  
mihi res est, inquio? sed non minus  
ideo mihi certa victoria ; pietas enim,  
ratioque non facile exarmantur , &  
hæ pro nobis pugnant. Paulum in-

tertio cœlo audiuisse arcana verba  
quæ non licet homini loqui , fides  
docet, & credimus ; inde tamen non  
cecidit , sed deductus est , quia Deo  
subleuante conscenderat vir humil-  
limus,nec præcipitium meruerat, qui  
se omnibus abiectiorem sincerissimo  
sermone profitebatur : & ascendit Si-  
mon ille magus , ô Fœlix , sed vt rue-  
ret, fractisque cruribus , longo æuo  
doceret sui immemores , Angelos  
non cuilibet ascendere volenti , sca-  
lam struere , vt cœlestia attingat.

Ne me autem , iniuriâ succensere  
eminentissimis hominibus existime-  
tis, illorum quædam axiomata pro-  
feram. Altiora nemo inueniet , fi-  
dem superant seu diuinam seu huma-  
nam ; non omnis enim ex Deo est  
mentis excessus.

Baptismo originis labem deleri ,  
consecrari hominem , ad cœlestè re-  
gnum ius accipere , quod nisi poste-

rioribus culpis non exuat, nouimus omnes. salutari tintos aquâ, corporis mystici membra fieri, quæ inoffenso capite lædi nequeant, vno etiam ore profitemur: neque illud negamus suscepimus infantem, cuius adhuc immatura, neque consilij capax ætas, suscipientium verbis quasi vinculis quibusdam ita alligati, ut adulto, nefas sit, postquam effulsi ratio sive iuris effecta est, ea morum libertate vitam agere quæ homini Christiano non conueniat.

Ex mente sanctorum Patrum, Baptismus artificis Dei officina quædam cœlestis est, in qua resculpitur quicquid in anima humana ex imagine creatoris detraxerat hostilis manus. Sepulchrum gloriosum, cuius angustijs pressus homo, fœliciter sibi interit, ut Christo viuat, ipsique, passionem eius imitatus, commoratur. vastum pelagus, ubi & naufra-

gus cum suo equitatu perit Pharaō,  
& anima Christiana, liquidum iter,  
nec infidum tamen, aut procellosum  
nacta, ad salutem festinat.

Eleuatis ingenij, hæ baptismi  
præclaræ laudes, quia ex antiquis  
fontibus, non placuere. sublimio-  
res quæsitæ sunt. quo autem modo?  
artem stupete.

Apud Batauos specilli quoddam  
genus nuper inuentum est, quo ex  
longo interallo distantes formæ ita  
grandescunt, ut quicumque medio  
speculari lunam conspexerit, mon-  
tes in ea deprehendat, Mireturque  
Aristotelis, & cæterorum Philoso-  
phorum inscitiam, qui luminis in  
nocturnâ illâ face maculas variæ den-  
situdinis effectum existimauerunt, cùm  
illa umbrarum in splendido globo  
mixtura, inde oriatur, quod, non  
læue corpus astrum illud, sed aspe-  
rum, tumidiores habet partes, re-

cessusque , speluncarum instar profundissimos, & in eâ partium inæqualitate , remotiores , quæ ferè sub alijs latent , parcus lumen solis admittant.

Quòd acutissimi isti doctores de quibus loquimur, noua quædam & portentosa in baptismo videant, beneficium est specilli, cuius usum communior schola non nouit; ecce quod vitro suo intermedio , in baptisme animaduerterunt, cœlestium dogmatum amplificatores.

Sanctitate inquiunt nihil melius, hæc Christianæ pietatis veluti corona , omnes in se virtutes ita complectens , ut extra illam nulla sit. hanc autem in ipso nouæ generationis articulo , solemnī voto promisimus , ut nascentibus nobis , virtutum quoque omnium obligatio nasceretur. tot catenis constrictus homo , in ea forte est , quæ fortioribus nodis ad

Christianam sanctitatem cogi non possit. Ad quid ergo monasticæ vitæ institutio? quâ tot viri, à ciuilis vitæ negotijs ita arcentur, vt interijsse, per omnia inutiles credas, nisi cursi-  
tationibus inuerecundis numquamque cessaturis petitionibus, admoneris, ipsos in aliorum malum vi-  
uere?

An credunt solitariæ vitæ cultores, procedentibus annis, se ita Ba-  
ptismi legibus solutos, vt nisi nouâ pollicitatione vinciantur, eadem illis  
sit quæ Catechumenis libertas? inuti-  
lia omnino vincula, quæ captiuis superueniunt. Iam ex voto castus de-  
bet esse Christianus, voluntate pau-  
per, superioribus obsequens, cùm eadem ipsa obseruaturum se, adhi-  
bitis testibus, dato etiam ad majo-  
rem fidei syngrapho, publicè iurat.

Votis illis quibus se cæteris ante-  
cellere existimant claustrales isti, non  
comparatur

comparatur noua in Christo seruitus,  
sed apud credulam plebem existimatio,  
quæ non parum vitæ torpentis  
solatio conducit, vbi iners pietas ijs  
tantum vti decreuit, quæ ciuilium  
hominum laboriosæ manus college-  
rint. Baptismo, denique cùm omnes  
Christiani religiosi effecti sint, fru-  
stra religio quæritur in cucullâ; aut  
moribus à communi vitæ ratione ab-  
horrentibus; neque satis huius vim  
Sacramenti percipere videntur, qui  
vota quædam emittunt, quibus ho-  
mo magis ad Christum pertineat;  
cùm iam Christi totus sit homo,  
quando totus oblatus est; eoque Sa-  
cramento imbutus, quod omnium  
votorum anticipatio est, &, cui ni-  
hil addi possit posterioribus cerimo-  
nijs, præcox quoddam sacrificium.

Ita præclarissimi Doctores; h̄ic sub-  
tilis contemplationis eximus fructus,  
ea in Baptismo vidisse, quæ antea ex

Catholicis nemo : votorum scilicet ,  
quibus anima arctiori fœdere Deo  
coniungitur , solutionem , sugilla-  
tionem , contemptum : reconditæ vi-  
tæ , cuius tot sancti , miraculis non  
minus quam eruditione conspicui ,  
duces fuerunt , improbationem , non  
sine cachinno , mordacique dicaci-  
tate ; Ecclesiæ , quæ in hoc consuetu-  
dinis genus mirificè prona , publicè  
etiam illi præsto est fulminibus suis  
cum vrgetur ab hostibus , acerbissi-  
mam contumeliam : frigidæ pietati-  
tis , quæ austriorem vitæ statum ,  
etiam vocata , refugit , stolidas ex-  
cusationes ; voluptatis denique , quæ  
ferè in solitarijs illis perit , turpissi-  
mum patrocinium .

Hæc cine sunt quæ in Baptismo vi-  
distis mysteriorum contemplatores  
egregij ? ideo vos cæteris subtiliores ,  
quia quod neque Augustinus , neque  
Thomas umquam aduertere potue-

runt, vos sanctiores, vos oculatiores, deprehendistiſis, vt docentibus vobis ea disceremus quæ loqui pudeat, quibusque, in Baptifmi ſcilicet laudem, illud purioris pietatis institutum deprimeretur, quod attollit Ecclesia? non fatis viſum eſt humano more in pacatiſſimos homines debacchari, niſi & calumnia ipſa, vt innocentiae ſpeciem ferret, Sacramento niteretur? Eminentissima certè doctrina! quia baptizati eſtis, ne Antonios ne Hylariones, ne Benedictos imitemini. Ergo iudicio veftro infatuabantur illi homines quos à funere inter diuos Ecclesia retulit, vt quām sancte vitam egerint, quām ſapienter hanc rigidioris disciplinæ viam ſint amplexati, totus orbis agnoscat.

Vnde vobis præclara iſta eruditio, dulciſſimi mortalium? an ab hæreti-  
cis mutuati eſtis? nam paria certè lo- Calui-  
nus lib.  
4. In-  
ſtit.

quuntur; non equidem dicitis. Ista ergo tam insolens inter Catholicos nouitas, contemplationis vestræ fœtus est, quæ ab coelesti quodam influxu grauida, vt vos opinamini, mirabilem doctrinam mundo effudit, nempè ad suam salutem expectanti, puerperium vestrum? si eadem animi perspicuitate quâ vos Baptismum vidistis, cœlestium arcanorum amanuenses, & præcōnes eximij, cætera quoque Sacra menta intuemini, heus, quot monstra comprehendetis, ne communes materias nobiles animos effutijſſe exprobrare possint, qui vos aut scriptores audaces euoluent, aut exaudient scurriliter differentes.

*Illud  
quod  
neque  
cadit  
sub ne-  
cessitate  
absolu-  
ta, ne-  
que sub*

Adeone rudes, vt ignoretis spon-  
sionem illam, quâ in Baptismo ad  
Christianam iustitiam omnes adigi-  
mur, propriè votum non esse? cum  
hoc non sit nisi altioris boni, cuius

eligendi est potestas; illa autem quâ <sup>necessitatem finis, omnino est voluntarium:</sup> tenemur in salutari fonte pollicitatio,  
 earum sit rerum quæ & sub præcepto  
 cadunt, & cōmunes quosdam agen-  
 dæ apud Christianos vitæ , canones  
 continent, quibus nisi sceleratè ob-  
 sistere non possis. quòd inter media  
 adipiscendæ post mortem salutis ,  
 præcipuum locum obtinet, quomo-  
 do voti ( nisi vocis huius vim atque  
 significationem latius extendas ) ma-  
 teria est? nemo enim quicquam ius-  
 sus, vt fatentur omnes, sed liber vo-  
 uet : & in eiusmodi promissis, maxi-  
 mè laudatur comparata ex animo ,  
 non ex lege aut minis, strictioris vi-  
 tæ , aut actionum ad religionem per-  
 tinentium, obligatio.

Quàm subtile odium, quàm la-  
 tens sub Baptismi veneratione ca-  
 lumnia ! explodantur, conterantur,  
 inquit hæresis Caluiniana Monasti-  
 cæ professionis sectatores, Christia-

num orbem diuidunt ; cœnoso suo  
instituto mundum inquinant , num-  
quam abluendum , nisi victimarum  
instar maestati , sordentem suâ morte  
lustrauerint . Quid autem noua illa in  
Baptismum pietas? non omnino , in-  
quit , improbanda est Monastica con-  
uersatio . in eo quippe vitæ genere  
multi innocentem vitam degunt ,  
obscuram licet , & sæculi fugâ , plus-  
quam par est , otiosam . hos certè fe-  
rat mundus , nam & Ecclesia illos to-  
lerat , sub tanto onere non amittens  
patientiam suam . infirmioribus ani-  
mis pateat ille locus quietis , vbi con-  
secrata inertia , non sine honore ab  
ijs rebus se abstinet , quæ aut pericu-  
la minantur aut molestiam facesunt .  
Verùm quantò melius in Reueren-  
tiam Baptismi cessaret illa specialis  
vitæ institutio ! quam bene præcipuo  
illo voto satiaretur , nouæ seruitutis  
auida , neque capax tamen pietas ,

quòd omnia non minus vota comprehendit , quàm omnes quotquot fuerunt in veteri lege oblationes , oblatio saluatoris ! qui Dominum Iesum in Baptismo induit , aliâ veste non indiget , vt religiosus dicatur ; nulla enim religiosior ea , quæ omnibus Christianis Ecclesiam Dei intrantibus , in obscenæ nuditatis operimentum , æquali mensurâ concessa est .

Quis ea sentire non pertimescat quæ religiosis in speciem , verbis contexta , hæresim adeo sapiunt , vt illam esse omnino existimes , si dulcissimo veneno , quod propinandum fidelibus datur , addat aliquis impotentem iram , eamque sermonis , sine qua nulla penè hæresis loquitur , acerbitatem ?

Finem feceram , cùm Apollonius rogauit , vtrum in alia Sacra menta peccaret audax contemplatio ? plurima inscientes sæpè agimus , in quo

charissime Apolloni , & tu quoque non aduertens vocas non ad nuptias ; inuitantem sequor : & de matrimonio cuius dignitatem nuperi quidam doctores , virginali pudicitiae æqua- uerunt , aliqua referam auribus ve- stris dignissima. Sed an historiam præteribo , quæ me impulit ut eos authores legerem , qui vt procis pla- cerent , nuptias non modò suadere , sed vrgere etiam visi sunt , salaci pro- pè eloquentia , quam nec ipse Hy- mænæus , Thalassiusue , cuperet iu- cundiorem ?

Hyparcha quædam fuit , quæ mi- ro studio , cùm eam parentes in ma- trimonium collocare vellent , virgi- nitatem custodiebat , non à viris tan- tum oculos auertens , ne aspectus , qui etiam in virgine purus esse debet , eâ libertate polluetetur , sed à libris quo- que , qui infano amori faces mini- strant. Adolescens cui ex parentum

voto desponsanda erat hyparcha, duritatem illam non ferens, quâ se suosque amores despici quotidie cernebat, plura in virginitatem atrocius dixit, quâm quæ decerent Christianum. In illo supplicio mentis doctorem adit, vt eo medico, aut minus acerbè sœuiret crudele vulnus, aut omnino sanaretur. Quid ad desperantis flebiles voces humanissimus doctor? Terge, inquit, lacrymas, compone gemitus, egregie iuuenis, non ex vulgaribus medicis aliquem, vt tu forte existimas, Chironem ipsum adiuisti. Ecce herbam ad cuius tactum gelu illud virginitatis eâ facilitate soluitur, vt quæ ex virginibus eam contrectarit, illico matrimonij appetitu corripiatur. simul his, librum tradit, cui pro titulo Encomia virginitatis. Et ne te, inquit, frons terreat, illum euolue; pudoris hæc facies apponenda fuit operi, & vt à

virginibus legeretur : scopus illius  
est sub hac laruâ , ijs omnibus suade-  
re matrimonium , quæ ab illo sunt  
auersæ. Mirum est quàm decenter ,  
quàm honestè , liber hic lectorem  
suum mouet , & ad generationem in-  
uitat ! sterilium enim virtutum fau-  
tor non est , sed fœcundarum prou-  
bus. Neque illud insinuat ex Euange-  
lio perdurum, Quid imiserit vxorem

*Math.*  
*29.* suam propter nomen meum centu-  
plum accipiet , & vitam æternam pos-  
sidebit. Aut Apostoli immitem hanc  
Theologiam , De virginibus præce-  
ptum Domini non habeo. consilium  
autem do ; qui matrimonio iungit  
virginem suam bene facit , qui non  
iungit melius facit ; beatior autem  
*i. Cor. 7.* erit si sic permanferit secundū meum  
consilium . sed totus in Genesim  
pronus mirificè istud intonat quod  
Adamo eiusque coniugi dictum est ,  
Crescite & multiplicamini & replete

terram. utiliorem humano generi tractatum nemo vñquam concinnauit. Iste enim liber artem amandi, sed piè docet, gratioſo ſermone rigidiorum virtutum auſteritatē adeo domans, vt ciuiles efficiantur atque tractabiles; futuris ſæculis ſapientiſimè consulit; dumque virgines tam potenter docet incumbere matri monio, ipsam prouidus author, demeretur posteritatē.

Lætus Adolescens, ſe absque fal cino ſeueriflā virgini, amorem in ſpirare poſſe, ſpe quam doctoſ fece rat tumens, eam inuiſit, librum tra dit, virgineo titulo dignum certè quem frigida virgo, neque muneri bus patens, aut gratiâ vñlā placabilis, acciperet, legeret, amplectetur. nec mora, caſtiſſimo libro, vt tenuit, figit oſculum.

Atque oculis & pectore toto,  
Hæret, & interdum gremio fouet,

in scia virgo,

Insidet quantus miseræ Deus , in secretum conlaue deinde recepta , breui totum peruoluit ; librum istum solem dices duratas niues & brumale gelu soluentem. Iam torretur hyparcha , recepto in medullas gratissimo igne , cuius vel scintillas , ante a cruce proprio extinxisse , toties in votis fuerat effusis etiam ad Deum precibus , ne illa coniugatorum incendio permitteretur , quæ nullas intentadas consentire decreuerat.

Quàm subito hyemi successit vehementissimus ardor ! Alia prorsus egressa est Hyparcha quàm intrauerat ; nihil aliud præter suum Amasium cogitans , inquieto , accensóque vultu , ab obuijs quibuscumque rogabat , curtam cito abijsset ille , quandoque reuersurus : quod vt ille gaudens resciuit , adfuit illico , in mutata virginis habitu , ore , blandienti-

bus ocellis , non obscurè aduertens  
sui matrimonij certissimum augu-  
rium. Aliquot post dies, cùm vxorem  
Hyparcham liber ille effecisset, ad do-  
ctorem suum redijt, accepti benefi-  
cij non immemor iuuenis officiosif-  
simis verbis asserens, se illi suam fœ-  
licitatem debere.

De alia mihi quoque relatum est ,  
quæ multos iam annos virum auer-  
sata , cùm in hanc amoris pedicam  
incauta incidisset , suam , vt olim illa  
Iephite filia , virginitatem quoditie fle-  
bat , se deceptam , se calamitosam di-  
cens , quòd tamdiu ignorasset di-  
gnitatem matrimonij. Multæ iam ,  
auditâ hac de nuptijs commendatio-  
ne , pro velo quod dari virginibus  
mos est , flammeum optant ; sponsos  
magis , quàm ex virtutibus yllam , pe-  
tunt à Deo : & , quod antea non si-  
nebat pudor , frequenter illud mu-  
lieris cuiusdam , prolem vehementis-

simè optantis , in oratione iterant,  
Domine da mihi liberos alioquin  
moriar.

Quàm fertilis, inquit Apollonius,  
horum oratorum eloquentia, qua in  
dies sobolescit humanum genus! sic  
quondam , hominibus vacuum or-  
bem , nouâ progenie referat famo-  
sus ille, apud Poëtas, cùm suâ Pyr-  
rhâ Deucalion , cùm ex Themidis  
oraculo , magnæ matris ossibus post  
terga proiectis , tot viros , totque fœ-  
minas è saxis nasci , quod immani  
di-  
luvio naufragauerant, vtérque mira-  
tus est.

Hegesiam Cyrenaicum , quòd ni-  
miâ eloquentiâ in huius vitæ calami-  
ties inuectus , plurimos ex auditori-  
bus suis spontaneo fato è viuis exire  
fecisset , silentio mulctauit Ptole-  
mæus Rex. quid , si extaret adhuc ge-  
neris nostri amantissimus princeps ,  
daturum putas fœcundissimis scri-

ptoribus, qui non interire homines sed concipi adeo cupiunt, & in eum finem, eâ fœlicitate aptant calamos, ut iure generationis præfæcti, cadentis, virginum incuriâ, mundi, reparatores à plerisque vocentur.

Sed dic, Firmiane, quibus argumentis maritalem communionem ingeniosi authores commendant? non ijs in quo, quæ partium ordinatissimâ ratione, vim faciunt intellectui, sed ijs quæ per se inania, longâ verborum serie atque apparatu, mentem fascinant, & voluntatem deliniunt: neque enim fillogismis virginitatem dedecorant, sed laudibus matrimonij, cuius merita si ex libris istis æstimas, continuò tu, qui à coniugio alienus, quæres vxorem.

Plurima eorum verba compendio tibi faciam; non omnes omnia, sed singuli aliqua habent, quæ si in unum corpus cogantur, iuris matrimonia-

lis pandectas habebis non ignobiles.  
Virginitas, inquiunt, virtus plane admirabilis; in carne enim præter carnem viuere, quid gloriosius, quid altius? illa tamen sublimitas priuato bono militat, non publico, se solam amans, doméstico fonti similis, cuius vnda purior, quia secretior, neque illis usibus seruiens qui fœdare eam possent, coniugium verò, non intactis cettè aquis, fluuiorum instar, pulcherrimo cursu terras fœcundat, viuentia gignit, fouet, ad publicam vtilitatem. Potior virginitas Apostolo teste, non tamen Adamo innocentii imperata, ut quam puritati conueniens esset coniugatorum status, inde appareret, quod illum, innocentiae sedes, paradisus admisit.

Audenter quidam. ubi virginitas fœcunda est, inquit, nihil illâ præclarious. sic in Trinitate, prima persona secundam generat, integrum integrum

integri Patris filium. sic Maria simul  
virgo & Mater pugnantes titulos in  
se mirabiliter adunat , vt & in terris  
Christus virgineo concipiatur sinu,  
& secundus ortus primum illum ve-  
luti explicet qui enarrari non potest.

Eâ ratione virginitas prægnans  
summâ veneratione digna est , seu in  
Deo , seu in Maria inueniatur ; sed  
imitatores non habet , inquit , nam  
ad hæc quis idoneus? Restat ergo ut  
extra Deum & Mariam infructuosa  
virginitas , langueat necessaria steri-  
litate. Coniugium contrâ , ex se enim  
ferax , propagatio quædam est ope-  
rum Dei , fulcimentum nostri ge-  
neris , funeris solatium , prima lex  
mundi.

Subtilius quod quidam aiunt. Mi-  
serandum certè quod Adamus ante  
peccatum suum continens , non co-  
gnouit vxorem suam Euam. sicut  
enim Sacra menta nouæ legis Deo

filios generant , tales quoque illi si-  
ne dubio dedisset , sanctissimorum  
coniugum innocens amor ; nam qui  
ex ijs liberi suscepti fuissent , ab ipso  
ortu Deo consecrati , neque , vt nos ,  
peccato veluti quoddam tributum  
soluentes primitias existentia , & qua-  
sent parentum dignitatem . Numquid  
à Sacramentis , quibus filij Dei nomi-  
namur & sumus , deduci vñquam  
potuit sublimior comparatio ?

Sed quia iam in statu naturæ pro-  
strata , ortus ille purissimus non de-  
ducitur à parentibus , alijs priuilegijs  
compensatur iniuria matrimonij , di-  
cente non frustra Apostolo , Sacra-  
mentum hoc magnum est in Chri-  
sto & in Ecclesia . sicut enim spiritua-  
le cum Ecclesia coniugium Christi  
eo fine contrahitur , vt nos meliori  
vitæ generent , numerosaque prole  
damna illa resarciantur , quæ cœlo  
inuexit nefariorum Angelorum de-

fectio , ita & humanum matrimonium , æternæ Dei prædestinationi vtiliter seruit , dum per illud quotidie homines funt , qui nisi carnaliter concepti , & ex prima illa origine ad secundam vocati per Christum , cœlestem beatitudinem comparare non possent .

Peto autem , ô Amici , cur in matrimonio ea solum viderunt præclari scriptores , quæ ad illud virginum animos allicerent ? cæcitate an industriâ prætermiserunt , iussum Adamo , quia ille constitutus radix generis nostri , nullumque datur absque fœcunditate principium ? quod in paradiso coniugium quidem , sed absque copula & liberis , virginitatis maxima commendatio est , quæ in loco illo seruatur , & non perit nisi eiecta . sed an sterilem ideo virginitatem diccas , quia liberos non habet ? immo , delicias mentis incorrupta gignit ,

famam, quietem; proposito que ex exemplo, similem sibi in aliorum mentibus s<sup>a</sup>pè generans, suâ etiam prole gaudet, & cum ipsa immortalis, æterna præmia sibi pariat, nescit funera, nouit hæredes. corporali generatione electorum prædestinatio- ni illa quidem non seruit, sed nec reproborum damnationi, quotum ma- jor est numerus.

Quàm indigna, quàm inepta con- templatio, quæ aut falsa videt, aut quæ vera sunt ita adulterat, vt ad illa hærens pietas, non dubitet modò, sed erubescat! Domos humiles, pro- brum suum existimabat audax illa gens, quæ ad famam sui nominis tan- tæ altitudinis molem euhere tenta- uit, vt supra nubes emineret, nisi sa- crilegos artifices, turbato lingua<sup>x</sup> commercio, spes superbi laboris, ars- que sua destituisset. vltimi quoque æui ista est arrogantia, quæ inuitis

superis assurgit: superbificis enim ingenij, depressa videtur communis Theologiæ summitas, & nisi Gigantum more, Ossa Pelion addant, montes montibus, nomen suum iacere, abscondique in turba, putant, dolent. quæ major potest esse fatuitas, quam terminis verecundioris doctrinæ non contineri; quam orbes imaginari, alios ab illis quos doctissimum virorum solers industria sibi vidit, nobisque: & ad ambitionis tormentum quasdam fingere terras, velut ille Alexander, qui differente philosopho, plures esse mundos armis suis non domabiles, acerbè fleuit quod vnum occuparet.

Vnde autem, ait Fœlix, nouorum veluti pruritus, in ijs maximè quæ antiquitate suâ sacra sunt? Non ardua Responsio, inquam, sed vnum hoc memineris, (ô Fœlix) ut ad plurium notitiam, venias; multo esse

iucundius & ad famam magis, aliquid  
inuenisse, quām ipsomet tantummo-  
do frui. dulcissimum certè, glorio-  
sumque Americo quartam orbis par-  
tem alijs tribus, quæ præter se nul-  
lam nossent, commonstrauisse : cæ-  
teri qui post illum opulentam terram  
incoluere , nec æquale nomen apud  
posteros meruerunt, eadem secando  
maria, nec illo gaudio sunt affecti ,  
quod nouæ regionis inuentor sibi fe-  
cerat fœlici inquisitione, licet con-  
cesserim illâ lætitia perfusos , quâ ca-  
rere non potuit manus auara, diuitis  
soli colligendo diuitias. puta idem es-  
se de scientijs ; dulcius est inuenisse  
quod scias, quām accepisse ab alio ;  
arborum quas seueris ipse, poma gra-  
tiora sunt : epulæ quibus manum ad-  
moueris, tangente te gustum acqui-  
rent, quem probet lingua, faucesque  
ad alienum laborem exquisitiores ci-  
bos fastidientes ; Miraris aliquos esse

qui veteri doctrinæ sua addant commenta: ne tantum stupeas , ô Fœlix , gustum suum amant , & nisi suis non placatur delicata ingeniorum constitutio ; hinc est quod noua quærunt , vbi noua non sunt ; & irrito labore postquam multum sudauerunt , hoc solum consequantur quod cæteris sint insolentiores , loquanturque tumidiùs .

Verba quædam splendida adinuenierunt homines isti , quæ qui scit , præstare se existimat ijs omnibus , qui vel negligentiam , vel contemptu , inanissimam loquendi formulam non didicerunt . nihil illis frequentius sententijs illis , quas non insulsi quidam authores in fabulam vertere , sanandis ut puto , qui melancholiâ laborant , quibus pro medicina risus est . Metalla , lapillos , quorum summa apud auaras gentes opinio , populi quidam , & certè sapientius , floccū

faciunt. suas contemplationes in pre-  
tio habeant, si lubet, noui mysterio-  
rum interpretes, nos despiciatui ha-  
bebimus, quicquid elato supercilie  
apud se mirantur, atque alijs ostend-  
tant.

Iam, ut puto, videtis cur mensu-  
ram humanam excedere sæculi Ge-  
nium diximus. eam enim affectu su-  
perat, refastidit; & si ascendere non  
conceditur, fingit tamen eò se ingen-  
ti contemplatione peruenisse, quo  
numquam prior ætas, longo tempo-  
rum tractu, improbisque laboribus.

Humana ratio excellentissimum  
naturæ donum, sed fragile, nec ho-  
rologijs constantius, quæ ex pondere  
ad horarum iustitiam non dispensa-  
to, nimis festinanter aut lente suos  
orbes perficiunt, vel etiam non raro  
ex sola aëris mutatione facillimè ex-  
errant. vir fuit, recens est historia,  
qui cùm in templo Numen supplex

veneraretur , subitâ fatuitate correptus est. hæc autē causa. hora erat quâ sol plurimū lucet , & tum nitidissimos radios , per vitream fenestram purpureo tinctam colore , vibrabat in homunculi caput , & maximè in Barbam ; ille subitò ardente miratus, neque aduertens , vnde illi nouum in pilis sine detimento incendium , eo prorsus modō quo Christus transfiguratus est , mutatum se credidit. cùm ille gloriam suam , quâ intumescebat non tacuisse , omnes qui mente captum sciebant , nouæ fœlicitati gratulabantur , & vt superbissimi delirij iucundior esset fabula , sæpè prostrati , & manum oculis admouentes , clarissimum virum rogabant , vt fulgorem suum temperaret , se enim ferre non posse ; neque durus auditor orationes illorum fastidiebat ; statim namque vario articulorum motu , & frequenti vultus mu-

tatione, quasi lucem suam illis actionibus absconderet, misereri se testabatur, iubebatque surgere eos, qui stupentes iacuerant. Ludus hic nemine aduertente in plerisque locis luditur; quidam enim diuinâ se luce perfusos adeò existimant, ut nihil orbis habeat diuinius aut illustrius; absque illis, atra nox in Ecclesia, & si credas altissima de se concrepantibus, antequam fulsissent, mundus indistincta mole iacebat, & tenebræ erant super faciem abyssi.

Quis ferat istorum hominum superbiam, qui vbi splendidâ inscitâ repleuere cerebrum suum, oculis, ore, toto vultu, velut quidam transfigurati, radios se emittere putant, quorum vim nulla acies ferre possit, nisi illorum, qui, quanquam adhuc mortales, beato lumini assueuerunt. Et igitur velo aut nube opus est doctoribus istis, ait Fœlix, ut populo

loquantur , qui absque dubio nisi  
claritatem suam tolerabilem fece-  
rint , opprimetur à gloriâ .





# INQVIETA ÆVI HIVS ERVDITIO.

## QVARTA DISSERTATIO.

**S**ATIS iocati , ad seueriorem  
materiam conuertimur , & hæc  
ansa vtilissimæ dissertationis.  
Bibliotheca erat domi , non in quâ  
essent ad fastum plura volumina ,  
quàm quæ sapienti sufficient ; scien-  
tique , librorum ingentem copiam ,  
non minus eruditioni officere , quàm  
flammæ redundantiam olei , corpo-  
rique humano cibos abundantiores ;  
ita igne , carne , doctrinâ , consenti-  
tentibus , vt temperantiâ quadam  
seruentur , cuilibetque ex ijs særissi-  
mè alimenta sua noceant .

Satis fuerat Apollonio ad studio-

rum commodum , eos collegisse au-  
thores in quibus præcipua authoritas,  
scientiæque ut ita dicam , seu sacræ ,  
seu prophanæ , principatus. Inter  
hos reges nullus ex authorum ple-  
be admittebatur ; pudueratque , cùm  
magnis , illos scriptores miscere , qui  
etiam quandóque in amplissimis vo-  
luminibus tenues sunt.

Nullus nostrum non amabat lite-  
ras , & ideo libenter in Bibliothecam  
quisque concessimus. ingressis , mox  
vt Augustinum Agatho , qui diu si-  
luerat , videt ; ex sanctissimi doctoris  
operibus Tomum , qui prior occur-  
rit , arripit manu. & ille ; Dissertatio-  
nis , ait , materies gratior erit , si non  
quæsita , sed obvia. sunt qui temerè  
apertâ Virgilij Æneide fortunæ suæ  
futuros euentus scrutantur , clarissi-  
mi Poëtæ opus æquè existimantes  
oraculum , ac miraculum. Sanctius  
Augustinum consulo , nec supersti-

tiosus habebor inuestigatione argu-  
menti, de quo forsitan inter nos, po-  
stulatis suffragijs, facilè non conue-  
niret.

Clausis deinde oculis, vt fit, vo-  
lumine aperto, obiectus est liber pri-  
mus de ordine, vbi quæ nobis for-  
tuita videntur, præsciri, disponique  
sapientissimè à Deo, ipse Augustinus  
sapienter probat validissimis rationi-  
bus. Nec ergo sine ordine, ait Aga-  
tho, huius libri occursus, ménisque  
illud legendi quodcumq; esset, quod  
primum ab Augustino exhiberetur.  
Et verè agnosco prouidentiam: vi-  
des Firmiane, vt in isto libro duo-  
rum iuuenum qui inordinate de ipso  
ordine disputabant, vir sanctus im-  
petum fregerit seuerioribus verbis,  
nec eos pro discipulis suis agnoscat  
qui pacem turbant, vt ipso tumultu  
appareat, quām possint alijs nego-  
tium facere, si magis rixa placuerit,

quàm ipsius veritatis inquisitio. Deus  
bone ! quantus pacis amator Augu-  
stinus ! ecce quod obortis lacrymis  
ipse, Licentio, Trigetioque : Noli-  
te, obsecro vos, geminare meas mis-  
erias ; satis mihi sint vulnera mea. si  
dignus sum quem non negligatis, &  
si me magistrum libenter vocatis,  
reddite mihi mercedem, boni esto-  
le. iminodes tis disputationibus, se à  
suis lèdi queritur, suasque gemina-  
ri miserias, quoties schola ipsius al-  
tius strepit quàm decet. si quid ab eo  
didicere turbatiora ingenia, postulat  
vt mercedem soluant, pacem ipsam,  
nec se vltra infœlicem velint, tumultuosa  
inquisitione veritatis, quæ tran-  
quillis mentibus certius lucet, dul-  
cissime innotescit.

Et in hoc præcipue apparet, in quo,  
Augustini Genius, nullus illo sua-  
uior. nam in hæreticos licet vehe-  
mens, acer, statim vt cum fidelibus

agit, remissus, & ad deiectionem usque, humilis. Mirum erat in eodem viro tantum animi robur, cum tanta mansuetudine conuenisse. de Augusto scripsit aliquis, neminem occidit nisi armatum; sed de Augustino verius; nemo enim sensit iratum nisi qui aduersus Ecclesiam arma leuavit, meruitque vulneribus ipsis adduci ad reuerentiam victoris, viriumque, quas non satis timuisset experimentum.

Quantum distat ab illa Augustini, saeculi nostri inquieta Eruditio! amicos ab hostibus non secernit. siue in alienos agat siue in fratres, idem ignis est. in quibuscumque prælijs, inhumana, turbida, sui impotens, sanguinem querit: nec illi inter Catholicos, exercitandis animis instituta certamina placent, nisi etiam, mixtis odijs, inter togas ipsas, quo libet bello atrociora moliantur; nisi ipsa denique cæco impetu omnia audiens,

dens, omnia pulsans, aut frangatur, aut frangat.

Iam non est fabula bellatricem Mineruam, ex parentis cerebro cum armis natam, statim à partu hostes quæsijisse quos conficeret. scientiam enim quæ humanæ mentis fœtus est, ab ipso ortu inquietam hoc sæculo facit hostilis quidam animus, & armorum libido. Nam à plerisque in lucem edita quid præstat? quid in nostri, quæso, generis gratiam confert? in mente ipsa ferox, cuius operâ concepta est, mox ut in lucem prodit, obstetricie seu lingua, seu manu pugnas init crudeles, & se paci infestam, non modò ostendit, sed & sæpe profitetur. Quis neget quod vel cæcis ipsis palam est? qui nunc sacris literis imbuti sua sensa scriptis aperiunt, magnâ ex parte non magis librorum authores quam tempestatum, inter eos prope recensendi

L

sunt, qui vtilem sibi ciuilem discordiam existimantes, principum fœderatiment, regnorumque odijs ita fouent fortunam suam, ut periculum sit crudelis opulentia, publica quies. prioribus certè sæculis etiam sine hoste schola accensa, pugnax, vehe mens, ut quid in aduersarios posset subtili argumentatione, in seipsum experiretur. sed non ideo seditiosa aut odijs flagrans; ne dum proprijs malis incumbit, vires amittat, inanique tumultu fremens, ea in pessimos usus arma obtundat, quæ maximè in infideles acuenda sunt. Iam illa propè perijt eruditorum concordia, & ex præliorum simulachris veros exercitus fecere homines isti, quorum subtilitate, atque ingenio Christianus orbis laborat.

Sic differentem me, interfatus Marcellinus. Ex ijs eruditis, ait, plurimos noui, qui velut togati quidam

milites, etiam sub pacis insignijs, euidentissimè probant, se eam omnino auersari; addiditque sibi monstrum videri, quod Theologia tot argumētis virtutum causam apud mortales agens, alumnos tamen suos ad modestiam non componeret. vnde autem, inquit, Genius iste, qui acerbitatē scientijs ita infudit, vt vix eruditus esse queas nisi iracundus & ferox? quo rerum ordine, suauissimi olim Theologiæ latices, felle velut admixto, haurientem scholam adeo amarulentam effecere, vt plurimis utilior videatur altissimarum rerum ignoratio, scientiâ illâ quæ animos reddit procellis? ipsis immaniores & turbulentiores.

Vultui meo intentis quotquot aderant, intellexi à me solutione meorum expectari, quæ Marcellinus proposuerat, nec aliter rogari me passus, sic orsus sum postulato silentio.

L ij

Ne existimes, ó Marcelline, prisca illâ suauitate cuius meministi, destitutâ esse nostris temporibus Theologiam. quòd multi, qui ad sacrum fontem accedunt, rixosi, queruli, omnibus graues, non ipsius vitium est, sed animorum quibus meliora infesta sunt. Cerne tot, in diuersis locis doctissimos simul, & modestissimos viros, quos sua neque inflat, neque ad insanos fremitus agit, eruditio; & protinus agnosces, non Theologiæ ingenio furiosos reddi quotquot pacem obturbant, sed aliunde mutuari hanc animi ægritudinem, quæ non parum apud plurimos scholam infamat.

An diuisionem quâ vtar, probaturi satis, nescio. Aliqui ex temperamento turbidi sunt. haud pauci ex quadam animi superbiâ, maligno certamine gloriam sibi quæsitiuri, prælianturn; plurimi ex odio feruent:

cæteros, occasio bellis admiscet, quo-  
rum pericula quia non aduertunt non  
timent. hæc, si placet, ordine quo il-  
la proposui, exequar.

Omnia quidem Astra speciosissi-  
mè micant, sed non omnia benigno  
influxu desiderium sui faciunt; quæ-  
dam enim utilius latitant, quam vi-  
dentur, nec nisi irata se mortalibus  
exhibit. stellæ illæ septem, quas in  
capite Tauri fulgentes cernimus, plu-  
uias toties creant, quoties redeunt,  
adeo imbribus natæ, ut ab illis hyades  
apud Græcos, apud Latinos autem  
fucculæ, ceu lutosæ appellatæ sint.  
Malignior multò Caniculæ lux, hæc  
námque non aquas, sed incendiage-  
nerat, ipsi pelago ardorem suum ita  
insinuans, ut non modò attolli flu-  
ctus, sed concepto quoque igne ebulli-  
re sæpè existimes; quandiu enim  
sydus hoc, in medio cœli centro si-  
tum, solis ipsius vicinitate potentius,

æstum duplicat, intumescit rabidum  
mare, & spumâ per allisas vndas mi-  
cante, motuque ingenti, quem vel  
littora ipsa metuant, ostendit ni rece-  
dat inimica lux, se placari non posse.

Ad quid autem hæc de astris queri-  
monia? ut desinas mirari eruditos  
quandoque viros, eo esse tempera-  
mento, à quo frustra pacem speraue-  
ris, cùm & faces quædam cœlestes  
non nisi funestè luceant, atque ortu  
suo serenum omne disturbent.

Non omnes literati æqualiter apti  
sunt nutriendo incendio, quod haud  
secus acille bellorum ciuilium ardor,  
nostram pacem absunit. Maxima  
pars istorum qui in schola furunt,  
bilioſa est, & ex vultu notasse sæpè  
mihi voluptas fuit. Nullam frontis  
esse fidem nimis audacter dixit ali-  
quis; fallit quidem non rarò; sed sæ-  
piùs extra fabulam ingenua est, osten-  
ditque seu latens venenum, seu se-

cretas animi dotes, vt neque vitia si-  
ne monitore noxia sint, nec seclusæ  
virtutes absque reuerentiâ & hono-  
re. Viris istis qui ad perniciem publi-  
cam eruditî sunt, plerumque frons  
ignea, oculi scintillarum instar mi-  
cantes, sermo vehemens, etiam cùm  
volunt videri suauiores.

Modestiæ larua tegi aliquando po-  
test dirus animus, sed non diu, quis  
enim constanter personam ferre  
queat? illam citò natura abijcit, vel  
imprudens vel indignata; vt breuio-  
ri imposturâ, ij omnes decipientur,  
quos ars luserat præclaris initijs: fal-  
lor, si aliquos ex istis, de quibus ser-  
mo est, diu placidos vidisti; sibi sta-  
tim redduntur, qui à se abierant, &  
simia sub amictu humano ad nume-  
ros saltans, direptâ veste, cito appa-  
ret quod est, ineptissimum animal,  
hominis ridicula imitatio.

Rarius qui sanguine copiosi sunt,

L iiii

in pacem peccant ; publicæ quietis amatores , quia ex suæ : tota illa sanguineorum cohors , conuiuijs , societati , musicæ nata , ea omnia pro deterrimis habet , quibus delibatur animi quies , aut consuetudinis amoenitas . ab his nusquam ferè timendum seu audituri , seu docturi ad scholam accedant ; immanes enim motus prohibet iucundissimum temperamentum , totusque naturæ habitus ad harmoniam vergens . Non ita illi quos saeva bilis acerrimè vrit , suo enim sæpe impares incendio , nisi partem excutiant , indomitum ignem ferre non possunt . hinc est quòd seipso subleuaturi , non plus verba , quàm scintillas emittant flämmeo ore , Vesuuio , atque Æthnæ , non absimiles , quibus ideo à naturâ diductus vertex , vt liberior ignis extra custodiam suam noceat .

Quid autem de Melancholicis di-

cam? si non exundat humor ille quo  
atrat, & funere ipso tristiores ali-  
qui efficiuntur, ad sapientiam certe  
non parum conferet mœstitia illa,  
quæ nimium effusæ hilaritatis fræ-  
num est, cogitque animum nihil vel-  
le, aut amplecti sine ratione, & con-  
silio. sed quid crudelius sœuiente me-  
lancholiâ, quid stultius? qui sub eâ  
laborant miseri, suo Saturno digna  
commenta meditantur, & secrete li-  
cet fatui sint, sæpiùs tamen, bacchan-  
tium more, cum feritate insaniunt.  
Ex istorū numero plurimos videbis,  
à communioribus placitis abhorren-  
tes, & mœrore ipso solitudinis eò ad-  
ductos ut potiora non probent. Illud  
enim vitæ genus, quo à naturâ velut  
sequester humanitatis, homo aliquis  
constituitur, portentosas cogitatio-  
nes menti ingenerat, sæpè etiam cru-  
deles, quas, si in notitiam veniunt &  
publicè eduntur, iure dixeris, bello-

rum semina, non minus quam immanis vita tetras imagines, spectra doloris, insomnia vigilantium.

Piscis est, Sepiam vocant, qui effusione atramenti se tutatur, nec aliter sauit, aut nocet. Quid aliud Melancholicus, qui diro humore libros inficit, candidorem doctrinam damnans, quia ater ipse, & contrariorum sicut difficilis est accessus, sic spontanea, naturalisque dissidentia?

Talem fuisse aiunt Acherontium, qui vltimis temporibus emergens, cum se ad scribendum applicuisset, sauam adeo doctrinam sparsit, ut possit videri pietatis terricula, & ad desperationem pia quædam, atque religiosa inuitatio. sed quid de illius ingenio queror, scriptisque ferilibus? à mœstissimo authore, quem & ira exasperauerat, ne quid ad tristitiam deesset, nihil expectandum suauius. Quid enim atra bilis è cala-

mo fluens, furorique admixta, scri-  
bere posset ad consolationem mor-  
talium? Nomen viro apte imposi-  
tum, Acherontius, nam apud Poetas  
Acheron in opaco specu genitus, ex  
natalium conditione solem diu auer-  
satus est, ab ipso tandem Ioue male  
multatus, quod Titanes in superos  
rebellantes auxilio iuuisset. Ethic au-  
thor obscuro loco editus, tarde etiam  
in lucem prodijt, ea in abdito arma  
fabricatus, quae commodiora multo  
haereticis, quam Catholicæ pietati.  
Neque illi hoc ignorant; & saepius su-  
blatâ spe, in suæ sectæ gratiam con-  
torquendi superioris æui scriptores,  
ad Neotericum authorem tanquam  
tractabiliorem cōfugiunt; licet enim  
cum illis fœdus non fecerit, facilli-  
mè tamen conciliatur, & odium eiur-  
rat. Quid hoc?

Flectere si nequeo superos, ache-  
ronta mouebo.

Multa in hæc dicere properabam ,  
immensus enim campus , sed inco-  
gitantem gratissima quæstio suspen-  
dit. Et hoc quidem , ait Marcellinus ,  
mirum est , ô Firmiane , inueniri sæ-  
pissimè in eodem cerebro sapien-  
tiam , sic enim & Theologiam voca-  
mus , vnà cum , non ausim dicere , di-  
cam tamen , fatuitate . Quæ enim ma-  
jor stultitia , quā aduersus suos in-  
solescere , sumere arma , non quibus  
Ecclesia vincat , finesque imperij sui  
proferat , sed quibus debilitetur , cæ-  
datur , ipsisque inimicis exhibeat ,  
acerbi , nec cito transituri doloris ,  
gratissimum spectaculum ?

Non plus viginti fermè annis , pro-  
diit liber , quā authoris mente nef-  
cio , à quo qui imbelles ex aduersa-  
rijs , nec in suarum partium libris  
edocti , passim arma petebant quibus  
pieratem oppugnarent . tanta mala  
non aduerterat incautus scriptor ,

dumque passioni suæ plus æquo indulget, & specie pietatis sanctissimorum ordinum leues defectus, velexponit imprudenter, vel attollit insincerâ, verbosâque Eloquentiâ, hoc ab æquissimo lectore nolens obtinuit, vt crederetur, vel hostis occultus Ecelesiæ, vel furiosus vtique filius qui matrem laceraret. hic liber non multò post latissimè venenum suum sparsit, cauentibus hæreticis, vt citò linguis omnibus loqueretur, totque interpretes haberet, quot sufficerent ad hostium satietatem, quibus mala nostra, nisi orbem ipsum impleant, & extra omne remedium sint, non placent.

Nec solus hic inquietus author; ante illum multi similia peccauere, nec defuerunt postea qui imitarentur, pari supplicio mox affecti; hoc semper agente prouidentiâ, vt qui inconsultè scribunt, pietatémque inoffi-

ciosâ charitate , quoquo modo de-  
decorant , nominis sui infamiâ labo-  
rent . Et his annumerandi sunt , qui  
non modò scholam , sed , quod flen-  
dum multo magis est , plebem ipsam  
turbant durissimis quæstionibus : vi-  
dentur enim pacem inuidere multi-  
tudini , quæ tantorum dogmatum  
non capax , statim vt audit , agitatur  
acerrimè , motuque suo tam diras fu-  
turorum imagines sibi exfuscat , vt  
quandóque desperet . Peto igitur ,  
Firmiane , quî fit vt diuinorum scien-  
tia in eodem cerebro maneat , in quo  
tanta fatuitas , quoque vinculo tam  
dissimilia vniuantur , vt sapientia dici  
possit stultiæ contubernalis ?

Non minus iucundæ quàm seriæ  
propositioni sic ego . Regia domus  
Regémne solùm admittit ? ô Marcel-  
line , an cum eo etiam infimæ sortis  
homines , Agasones , pistores , coquos ?  
Et quidem admittit omnes , respon-

dit Marcellinus, illósque etiam non excludet qui stipem petunt, si cui libet intranti ianua patet, nec custodes pro officio suo sunt rigidi. Sed quid inde ô Firmiane? quid inde, aio, & hoc dixi, vt scias posse sub eodem te<sup>c</sup>to cum abiectissimâ fortunâ maiestatem inueniri, neque mirum esse si quandoque sapientia, & quæ illi aduersaria est fatuitas, in eodem cerebro contineatur.

Spatium illud quod multa ambit corpora, locum communem vocant Philosophi, singularem vero istud, quod cuiusque rei corpus ita circumscribit, vt mensuram eius non excedit. Vtrumque in cerebro aduertere est, ô Marcelline, est enim illa pars aliquando contrariorum quidem receptaculum, sed diuersa claustra obtinent, in tam lata domo, quæ naturâ non conueniunt; sicut enim iudicium anteriorem tenet sedem, me-

moria posteriorem , sic mihi persua-  
serim , diuersis partibus idem cere-  
brum aliquando ita variè affici , vt  
sapientiæ locus sit , nec excludatur  
amentia.

Planius dicam ; iudicium , memo-  
riaque non ijsdem affectionibus ce-  
tebri vires suas explicant ; illud quip-  
pe in sicco lucet nitidius , fœlicius-  
que disponit quæ agenda sunt : hæc  
in molliori rerum imagines nullo  
negotio accipit , & in vsum suum fa-  
cile mouet : sicut enim ad solem quæ-  
dam arbores letiori fronde virescunt ,  
aliae marcent , vtraque facultas non  
eodem gaudet temperamento ; &  
ideo fermè pro miraculo habenda est  
illa constitutio cerebri , quâ in ma-  
gnis quibusdam viris , rationi tam  
commoda sedes est , vt splendorem  
suum facillimè effundat , ordinandis  
actionibus , nec memoriae deterior  
locus , vt imaginibus suis intenta , sine  
labore

labore quas velit nouas accipiat , aut euocet quas acceperit . fortè iam quod dicturus sum vides . Da hominem cui desit illa capitis conformatio quæ sapientes facit , datâ alterâ quæ memores : quia , vt diximus , Theologia est rerum diuinarum sapientia , fieri poterit , vt idem homo eodem tempore & sapiat , & desipiat ; sapiet enim si doctus est earum rerum perceptione quibus instruitur ratio ; desipiet autem illâ parte cerebri , quæ prudentiam excludit , nec apta est consilijs . hinc , ô Marcelline , turbulenta eruditio , quæ cùm multa nouerit , effundit malè , cæciorque ipsâ Poëtarum fortunâ diuitias suas temere spargit , quæ vt plurimùm accipientibus nocent .

Populus fuit qui Causidicos nollet admittere , cùm milites pateretur ; scriberé tque Imperatori , se ab impolitis , armatisque , minustimere , quām

ab ijs qui discorde eloquentiâ ipsas  
leges turbarent. Quæ enim spes fœ-  
licitatis, vbi ius alio iure indiget, vt  
se ab oratoribus expediat, suosque  
interpretes illo supplicio damnet,  
quod meriti sunt? pacatius certè vi-  
tam nostram duceremus, ô Marcelline,  
in castris ipsis vbi tympanorum,  
tubarumque vehemens sonus, quie-  
tem somnolentioribus excutit, quàm  
inter istos imprudentissimæ pietatis  
Theologos, qui ex Euangeliô nihil  
fidelius, peruersè licet, didicere, quàm  
verbum istud; Non veni pacem mit-  
tere sed gladium, veni enim separare  
patrem à filio, nurum à socru, & ini-  
mici hominis domestici eius.

Respice quæ fuit Gallia antequam  
eruditî isti, suis clamoribus imple-  
sent aëra, & ad arma vocassent, non  
eos tantùm qui scholæ prælijs iniciati  
iustæ militiæ nomen dederunt, sed  
& imperitam multitudinem. Num-

quam fœlicior nobis status , quam  
cum sub pacatissimis ingenijis , schola  
sibi constans , vno impetu , & quasi  
testudine factâ in hostes irruerat , at  
nunc distractis viribus languet exer-  
citus Ecclesiæ , ipsaque nos , stultitiae  
nostræ admonet , aduersariorū exult-  
tans , & proh dolor ! propè minax in-  
solentia : Quo vos , ô noui doctores ?  
quis in orbe Catholico disputationis  
acerrimæ fructus ? Quis ciuilium fi-  
nis armorum , quæ nec ipse summus  
Pontifex à furentium manibus excu-  
tit , fulguratione , tonitru , ipsâ de-  
nique iaculatione Anathematis quod  
vel impij timeant ? sed non aduer-  
to me absentibus loqui . Ignoscite ô  
Amici , talis' est , non amantium so-  
lùm , sed & sæpè indignantium ar-  
dor , vt , si homines absint , saxa po-  
tiùs ipsa suis questibus oneret , quam  
silentium custodiat .

Et mirabar te , ait Marcellinus ,

M ij

non audituris tuos sensus apetire, uti-  
lémque turbidis mentibus sermo-  
nem apud eos habere qui tecum sen-  
tiunt: sed te iratum vidisse iuuat,  
iuuat, ô Firmiane, vt si aliquando  
plus quam decet æstuamus, illud ip-  
sum in alijs excuses, cuius exemplum  
fecisti.

Sed timeo ne te longius à pro-  
posito auerterim. Aliquos ex tempera-  
mento molestos esse ostendisti; iam  
proderit, te differente, audire, quid  
de alijs sentias, qui ideo tantum acer-  
bi sunt, quod vasanâ eruditione,  
prælijsque noxiosissimis sibi nomen  
facere arbitrantur. verum est, in-  
quio, neque enim aliâ victimâ, fa-  
mam sibi non propitiā, placari  
posse autumant, quam si illi pacem  
immolent.

Illud aliquando miratus sum, olim  
Romæ nobiles quasdam fœminas  
meretricijs amoribus maculasse suam

stirpem , non voluptate aliquâ du-  
ctas , sed timore , ne si amasios non  
haberent , deformes haberentur . Ar-  
gumentum enim pulchritudinis est ,  
viris placere ; neque tanti pretij , apud  
stultas mulieres , contempta aut so-  
litaria castitas , ac forma prostituta .  
pari genio aguntur qui famam sibi  
comparare gestiunt , pacis publicæ ,  
suæque virtutis iacturâ ; clari enim  
cùm esse non possint nisi turbidi , no-  
cere potius eligunt , quâm latere  
ignobiles atque innoxios ; & tem-  
plorum incendio , velut Herostratus  
ille , historiam ipsam sollicitant , vt  
pessimum nomen , cuius memoria  
omni odio , omnibus legibus dam-  
nanda est , ad posteros transeat .

Erricum Sueciæ Regem arte ma-  
gicâ notiorem , quâm nobilitate aut  
imperio , pileum habuisse ferunt , quo  
ad arbitrium gestantis variè moto ,  
optatus ventus statim aspirabat , tor-

M iii

pens licet aér, neque aptus nauigijſ, ipsis etiam auibus adimeret vſum pennarum. Ille ne vnicus pileus qui ventos ciet? immo plures hodie inuenias, absque carminibus tempeſtatem eò induentes, vbi tranquillitas diuturnior sperabatur, quia ſanctior, neque fas illam, quam Christus Ecclesiæ ſuæ largitus eſt, pacem turbare. tot certè pilei ventosi, quoſ turbidi apud nos doctores inueniuntur, qui procellosā ſubtilitate turbas faciunt, ſequē famosos arbitrantur, dummodo miseriſ mortalibus nimboſ moueant, & pericula minifrent.

Quām tetra vox illius Imperatoris, qui ſuum principatum ob hoc ignobilem dicebat, quōd fœlix, nec inſigni aliquā clade notabilis, quemadmodum illorū quos celebres apud posteros facit, aut cæſus patriæ exercitus, aut theatrum ſubito caſu in ſubiectam plebem corruens, aut pu-

blicum incendium. Magna certè gloria , sui sæculi tranquillitatem sustulisse , & inter eos censeri , ordinis Ecclesiastici gladiatores , qui obuium quemque ad certamen producunt libellis prouocant , neque vñquam sine spatha , & clypeo conspicuntur . Sed an putas eruditos istos , qui cæteris vehementius loquuntur atque frequentius , cæteris etiam doctrina aut ingenio antecellere ? dolia majorem sonitum edunt si inania , pleno vase nihil surdius : & hoc argumentum scias tenuissimæ doctrinæ , vbiique loqui , vbiique iactare doctrinā suam . Non frequenter oracula vocalia sunt , patientiâ emendum est , quodcumque rogata emiserint . viris parcior lingua , fœminis continua ferè loquacitas , ex disparitate scilicet ingenij , quòd cum viris constantius sit , & solidius , sine labore seipso fruatur , nec in solatium leuitatis , viam

M iiiij

facit secretis cogitationibus , vt in verba erumpant.

Ista sermonis perpetuitas , quam in pluribus videtis, indigna est homine Theologo , sacer enim est & pro oraculo habetur , neque viris licet, quæsitis disputationibus rixas sere-re, more mulierum quæ verbosæ & procaces , si proprijs focis iurgia de-sint maritorum patientiâ aut impe-rio , fores egressæ , hostem quærunt , & faciunt.

His immorabar cùm nunciatum est adesse Primesium postulantem an ingredi liceret , & nostrâ consuetu-dine frui. placuit inuitis eum intrare ; neque enim poterat honestè dimitti amicus grauis , & etiam inter mutos contentiosus. vt vidimus de more ac-cedentem cum suo libro , Miserum me , inquit Fœlix voce demissâ , Pri-mesius iste ex sciolis est , qui spino-sis quæstionibus aures dilacerant , &

litigiosâ garrulitate eos etiam torquent, quos humanitatis gratiâ conueniunt; abesse utinam, illo aduentante pax nostra certissimè perit, velis, nolis, pugnandum est. Tum Apollonius in cuius ædibus morabamur, Salutem Primesi, fortunatae accedit, iam enim longâ verborum serie lassati, omnes filebamus: verùm te conspecto torpor ille mentis excussus est, rediit vigor, & iterum placet loqui, te præsente enim non deerit gratissimæ collocutionis materies. Subrisit ille, & codice ostensio, quem præ manibus habebat, ait silentium esse haud posse, ubi egregius liber admitteretur; addiditque, ea in isto volumine contineri, ex quibus argumentum conuersationis sumere vellet. cui iucundissimè Apollonius. Bibliothecæ, inquit, meæ iniuriam facis, Primesi, ergo tot libri, quos hîc cernis, suorum autho-

rum nominibus conspicui , neque  
tantum argumenti varietate , sed &  
rerum pondere , & copia insignes , ad  
colloquium vnum non sufficient? Sed  
dic quæso , quis iste liber quem tan-  
topere attollis? Illene qui tibi in vr-  
be moranti , comes esse solet indiu-  
duus , itineris etiam tui , cùm carpen-  
to , aut equo veheris , assecla , & vitæ  
rusticæ , quoties fastiditâ vrbe & ne-  
gotiorum motu , in villam secedis ,  
maximum solatium , de quo tibi fre-  
quens sermo ? ah ! ipsemet ; ex in-  
tegumento , ex formâ , & maximè  
quia frequenti manuū attricatione  
propè tritus est , agnosco authorem  
tuum ; præceptorem tuum ; qui Gal-  
lico idiomate , cultissimâ phrasî , adeo  
placuit amœnis ingenij , ut passim in  
aulâ , & in Gynæceo dicerent , tot le-  
pôrum authorem verè esse suspicien-  
dum ; neque ab eo timendam , in re-  
bus fidei , ambiguitatem aliquam ,

aut perfidiam, qui tam venustè loque-  
retur.

Ad hæc iam non ridens Prime-  
sius, tono grandi, vultuque ad mo-  
destiam & grauitatem non sine ani-  
mi dolore composito, vt his tegere-  
tur acerbitas mentis, doctrinæque  
tenuitas. Ita est Apolloni, nihil om-  
nino metuendum ab isto authore;  
non ideo certè quia disertus, & com-  
ptulus; nam quis nesciat hæreticos ali-  
quando fuisse eloquentes, & verbo-  
rum lenocinio apud incautum vul-  
gus, potentissimos? sed quia morum  
integritate, notissimus, & nascentis  
Ecclesiæ dogmata adeò callet, vt ea  
ab ipsis Apostolis, non ab illorum  
successoribus didicisse videatur: ne-  
que enim, vt plerique, in scholæ re-  
centioris verba, & magistrorum fi-  
dem cæcâ facilitate aut reuerentiâ iu-  
rat; riuos pertæsus quales hodie fluunt  
apud vos, ad elapsa olim sæcula to-

tum animum applicuit, vt scrutaretur quid lateret in fontibus.

Mirum est quanta eruit ex veterum Patrum apothecis sagacissimus vir, fœlici diligentia & labore; suo certè libro noctem abstulit, quæ grauis mundo incubabat, nec minori luce poterat solui. præclarissimum, opus vernaculo sermone ideo editum, vt bonum, quod paucorum esse optarat, auara & latina quorundam hominum pietas, fiat Gallicâ largitione communius.

Noui authoris immodicâ laude læsus Agatho, neque diutiùs ferens scholam contemni; Pugnaturus intrasti, inquit, Primeſi, ad hoc enim venisse te, comes liber ostendit, nec obscurè prælium petis; dabitur. Ecce me paratum congredi, sed quia tu prior ad pugnam vocas iniquitate sermonis, legem accipe, cuius beneficio, apud prouocatos est armorum

delectus. Ex plurimis quæstionibus vnam feligam, sed ut neuter longis ambagibus, seu verum eludat, seu ignorantiam suam obuelet, argumentis procedamus; sic enim Diuus Thomas, ut fugacis aduersarij multiplices astus arctissimâ rationis lege, ad iusti certaminis formam cogeret; nam prioris æui sententijs; authorum citationibus, quorum sensa neque patent sæpiissimè, neque cum alijs conueniunt quibus eadem debetur reuerentia, nulla vis infertur intellectui; & in isto certamine, non ille propemodum vincit, qui doctior, aut verior, sed qui memoriâ, aut laqueis fœlicior est.

Non expectato prælij ordine attonitus miles, primum necessario rubore, mox pallore oris, diuersissimos animi motus indicauit, timorique admixtam in subito casu, ex ignorantia conscientiâ, verecundiam. ne

tamen metuere crederetur , acutiori  
voce consternationem animi obdu-  
cere sæpè tentatus , sæpè etiam hæsit ,  
vt scires hominem , suis in castris au-  
dacissimum , & vincere confisum no-  
tissimis armis , ad ignota tela pauere .

Suus tantum liber , sua veterum  
Patrum excerpta viro placebant ; vr-  
gentéque Agathone vt ratione pro-  
cederet , in Thomam ipsum debac-  
chatus , qui viam cæteris præiuerat ,  
modumque sacris disputationibus ad-  
hibuerat ex Philosophorum præ-  
scripto , ea dixit quæ audisse dolor  
animi fuit , auriumque cruciamen-  
tum.

Sanctus iste , inquit , suâ eruditio-  
ne minus profuit Ecclesiæ , quâm ob-  
fuit . quæ ad religionem pertinent ,  
authoritate probantur , non scholæ  
altercatione , aut argutijs . Quid mihi  
Thomam memoras , quid sequaces  
illijs ? tutius multò illo consulere

authores, qui Apostolorum æuo vicini, maturè satis nati sunt ut recentem adhuc pietatem amplexarentur, viderentque in adolescente Ecclesia religionis nostræ primitias. Melius illorum placitis, quām scolaisticâ concertatione ad verum itur. an fortè existimas periclitari fidem sine argumentis, aut aculeatâ illa Philosophorum ac Theologorum calliditate? imprudenter Aristoteles inter Christianos admissus est, non tantùm ut Catechumenus, sed ut magister, & propè, cur enim non dicam? Iudex sacrorum. quām verò infœliciter Diuus Thomas Athenis Hyerosolymam implicauit, mersit; vt triusque vrbis dogmata adeo confundens, vt nescias, magisne à Christo didicerit simplicitatem Euangeli, quām à Philosopho subtilitatem disputationis, & in ipsâ pietate, vbi vrgetur acriùs, peruicaciam.

An qui ante illum extiterunt , ab-  
errauere? quia nondum ille litigandi  
viam tradiderat , vt doctrina sacra  
forensis propemodum efficieretur , &  
ex ipsâ lucis accessione , non rarò  
etiam tenebricosa? sicut enim , si plu-  
res in eumdem locum faces inferas ,  
quot lumina , tot ymbras habebis ,  
tenues quidem , sed multas ; ita ex  
disputantium varijs subtilitatibus vix  
vna eruitur veritas , sæpiissimeque ac-  
cidit , vt illa scholasticorum manus ,  
rationum diuersitate , multiplices te-  
nebras mysterijs offundat . Satius cer-  
tè legere priscos authores , & ab ijs  
credenda petere , quam pijs Diui  
Thomæ tricis vti , quas qui fasti-  
diunt , aut etiam ignorant , sinceriores  
sunt æstimandi . habemus in isto  
volumine illustriora Diui Augustini  
testimonia , quibus obscura iamdiu  
veritas mirificè illucescit . placetne  
audire aliqua , quæ ingenti contro-  
uersiæ

uersiæ finem faciunt. Non in multam quæstionem , sensum suum trahit vir doctissimus. quid credendum , paucissimis verbis indicat.

Hæc Primesius , cui Agatho risus fuero. Pudeat , Primesi , Bucerum agnouisse quanta Diuus Thomas prestatiter Ecclesiæ Catholicæ egregijs laboribus , te autem ignorare. In hoc , homo hæreticus multò te Religiosior , quod sanctissimi viri doctrinam demirans , illam vocat propugnaculum Ecclesiæ , fateturque in eâ tamquam in publico quodam armamentario , illa omnia inueniri , quæ apud cæteros authores vel nimis diducta , eualescunt prolixitate sermonis ; vel infinitis propè operibus sparsa , nisi in vnum corpus coëant , vix reperiuntur , vbi vrgens bellum lenta arma non postulat , neque vim illam obtinent quæ vnitis dat victoriam.

An in culpâ Diuus Thomas quod

N

militantis Ecclesiæ legiones formauerit, quòd ordinatissima ratione lumen monstrauerit ipsâ ratione illustrius, nempe argumentis, quod iam reuelatione patebat; velut ille Ioannes, qui tantum lucerna ardens, & lucens, solem tamen ostendit? Quem te dicam, Primesi, qui doles Thomæ eruditione omnes à fide alienos in eas contrahi angustias, vt necessario fateantur se non homines, si fideles esse abnuerint; quia quicquid à summo doctore proponitur tanquam dogma Ecclesiæ, adeo rationi cognatum ostenditur, vt illud non admisise, illam quoque respuisse sit?

Sed dic quæso: si ille regem demetur, qui fulciendæ potestati tumultuarie legit milites, & confuso apparatu arma ministrat; quomodo ille nocens qui ipsam aciem componit, qui sub suis signis legiones prudenter, clamoribus, authoritate continet,

in mediâ etiam pace vsum armorum docens, ne tyronum inexperto marte nutet exercitus ybi bellum inguerit?

Veteres patres multa inuenisse quibus religio non modò se tutatur, sed fœliciter quoque in ipsas hostium turmas irruit, quis, oro, dubitat Primæ? plura fortè concedam, quām à me speres. si doctrinæ substantiam spectas, non modum, quicquid hodierna schola ambitiosè promit, prior ætas habuit, in ipso rerum initio copiosa, & sapiens; nihil nisi vetus apud studiosos nascitur; totum ingenium hominis exhausit prisorum authorum diligentia, ac studium, quacumque imus, ducimur. Sed fatearis necesse est, Primefi, Diuum Thomam eà prudentiâ digessisse quæ à patribus acceperat, vt iam usus sit facilior, & ratio ipsa ordinatior. Quis autem dubitet validiorem esse rationem, iustâ

partium suarum collocatione, cùm fortior vtique sit exercitus vbi ad animos & vires ordo accedit? non ille prior deprehendit aurum, qui prior signauit, vt ex metallo pecunia fieret, sed modum inuenit, quo esset multo vtilius, & pretiosius æstimaretur. Esto, Diuus Thomas nihil aliud scripserit, quām quod ab antiquis Patribus mutuatus est; aurum certè cælauit, quòd priùs infectum quasi iacebat, licet scolaſtici aliqui ante illum extiterint, additisque figuris, meliori arte effecit commodius.

Catholicum te esse piè credo, Primesi; sed vnde hoc, vt hæreticorum more Thomam respucas, qui summorum Pontificum oraculo declaratus est tot edidisse miracula, quot scripsit articulos, eaque attigisse perspicacissimo ingenio, quæ meruerunt, vt doctor doctorum & scholæ Angelus diceretur? Non majori supercilio

quām tu, Caluinus aut Lutherus Thomam contempsit; dic, & illum monachum fuisse, nec à monacho aliquid præclarum debere expectari; oblitus ipse eiusdem fuisse instituti penè eos omnes qui prioribus sæculis Ecclesiam Dei nobilitauere ingentibus scriptis, & famâ studiorum. Verum, Primesi, ne me tibi seuerum dicas, dabo gratiam; non odisti Thomam, sed times; & gnarus quanta vis argumentorum sit ad dissolendas rationes, quæ verborum apparatus & sententijs se explicant, ad notum tibi librum ex more deflectis, & certamen detrectas.

Modus iste agendi quem tuis partibus commodiorem iudicasti, quemque proponis, iamdiu, ab eruditis proscriptus est, ijsque relictus qui minoribus studijs dederunt animum, & quibusdam citationibus, quæ iam apud vulgus tritæ sunt, tuentur, com-

mendantque doctrinam suam . sic iam mulieres ; libros enim eiusmodi , vestro certè beneficio , habent , & ex Latino patres Gallicos , quos legere , illis est cæca voluptas , citare verò , audacia animi , atque oris impudenteria.

Tuus tibi sit liber , Primesi , authorem nouimus : cuius fidei sit ; quâ ad suum sensum arte inuitos plerumque patres compellat , non ignoramus : quid taceat , quid detorqueat , quid etiam venustissimus interpres de suo addat , oculati sc̄iunt ; & iam à plerisque quos nouitas penè mouerat , irridetur quæ fuerat priùs periculosa fascinatio .

Ita differente Agathone , non se regebat Primesius ; modò auersa facie damnabat quæ dicebantur ; modò in terram spuens totum pectus exhauriebat , vt quām abiecte de scholâ sentiret , Agathonem non lateret ; &

interdum , quasi veritas ipsa conficeretur , extensis in cœlum manibus , quia loqui non sinebatur , acerbè silens , proclamabat ad vindictam . vt tandem fari concessum est , totus in iniurias fuit , eâ mentis atrocitate quæ etiam vultum mutaret ; Gallum Indicum dices , qui oblatâ purpurâ liuens , demissasque in humum alas minaciter rotans , ita ridiculè accenditur , & gyros agit , vt cum pueris timorem , viris tantummodo risum moueat . postquam impetu plura eructauit quam benè conceperat mente , salutantibus , nec ressalutatis cæteris turbidè se eripuit , optatâque absentiâ pacem nobis reddidit quam abstulerat .

Ex illo articulo , respirare omnes visi sunt , & cœpere palam mirari pietatis istius Genium , quæ criminis loco sanctis ipsis obijcit utilessimam doctrinam , dignitatēque eorum

N iiii

violat, quia viam, quam ratio monstrat, neque Religio refugit, ipsi ingressi, cæteris quoque ut rectiorem, & securiorem proposuere. Magna mihi inde oritur suspicio, inquit Fœlix, eas opiniones errori, ut ita dicam, collactaneas, quæ illud improbant, quod hæreticorum versipellis astutia damnare consuevit. Audisti fabulam, lupos aliquando eâ conditione pacem cum ouibus inire voluisse, ut canes scilicet à se amouerent quos habebant ad custodiam. Isti qui castrenses Theologos nimis acres esse queruntur, fœderumque osores, ouili videntur insidiari; cur enim, si gregi tantopere fauent, cur, inquam, metuunt, culpant, amicos latratus, utilemque ouibus vehementiam?

Scholasticos certè Catholicæ Religioni noxios esse nemo dicet, nisi qui optabit eam potentioribus destitui armis, & laboriosâ victoriâ pro-

pulsare hostes fidei. amicos dic qui eadem quæ tu, castra obtinent , & sub ijsdem vexillis militant , ego certè puros non credam qui auxilia respuent, laceffentque iniurijs illas acies quas aduersarij non plus odere quam tremunt.

Scholæ maxima laus, hæreticis esse odio ; ex hoc enim vtilem protegenda veritati quis non videat ? conuitia inimicorum triumphum ex illis nobiliorem arguunt ; nemo impunè vincit , semper enim datur in agentem actio , debilis licet , vt cedentium sit aliqua vindicta , & impressi dedecoris solatium. Miramur quod prostrata , sed nondum extincta hæresis scholæ obtrectat fieri aliter non potest : in ardenter focum aquam injice , crepitabit iratus ignis , & perfusus , insultabit vnde victrici. sed acerbum valde, ex nostris inueniri aliquos , qui scholæ infensi , Thomæ-

que , cuius ope animosior est atque  
pugnacior , cum aduersarijs sentiunt.  
Verùm hoc superbiæ familiare esse  
intelligo, illud omne vituperare quod  
metuit , & in fugæ pretextum quas-  
dam fingere causas , quæ etiam robur  
aliquid animi , & excelsitatem non  
pessimè adumbrant.

Sed iam , ô Firmiane , solue auditu-  
xis quod vltrò illis pollicitus es. plu-  
rimos ex odio turbidos esse dixisti , &  
literarias procellas excitare in Eccle-  
sia. quo autem modo? nam vsque eò  
illos matrem optimam odisse, vt quiet-  
am esse nolint , nullus , qui offendæ  
placidus interpres erit , credet. tum  
ego , Debitorem me non abnuo , ô  
Felix , qui fui promissor , & te exacto-  
re , æquum est , proferre promptio-  
rem solutionem , sed altius quàm  
putas quæstio illa petenda est.

Contrariorum eamdem esse ra-  
tionem non obscurè docet Philoso-

phia. quod amor , hoc & odium, non  
vi minore , si datur spes, tentat ; si  
facultas , exequitur. quid non præstat  
dilecto amor ? quid non inuenit in  
commendationem ipsius? quid in eo  
non excusat , si aut forma illiberalis ,  
aut mores à virtute deficiunt? quic-  
quid in vultu amati aut ingenio pec-  
cauit natura , iudice amore absolu-  
tur , dignumque etiam censetur , ne  
quid infamiae supersit , cohonestari  
Panegyrica laudatione. Amor lucis  
instar , venustatem ijs omnibus con-  
fert , in quæ effunditur , nec nisi bo-  
na collaturus , aut ostensurus , emer-  
git ; nocens nunquam , doleat licet ,  
& contemptus incandescat.

Eo prorsus modo odium furit, quo  
amor beneficus est & gratus. quid  
enim in hoste deprehendit ille qui  
concepto odio aduritur , quòd non  
statim despiciat , & condemnet? le-  
uissimi defectus eo arbitro cruces me-

rent; sapientia apud illum æstimatur  
fatuitas nec ipso rerum successu , &  
publicâ famâ crimen eluit. persona-  
ta prauitas , creditur esse quælibet se-  
uerior virtus ; pietas hoste inspesto-  
re scelerata est.

Acerrimi odij non vetus exem-  
plum proponam. Nouisti eos qui à  
salute nomen sortiti , præclarissimis  
actionibus grandem titulum æquant,  
& per totum orbem Iesuferi , Barba-  
ra vox , vera tamen , per tot inter-ia-  
centia maria intrepidi vectores , Ie-  
sum deferunt , vt nulla pars mundi ,  
obstante licet æstu , aut æterna sub-  
polis hyeme , Saluatorem ignoret?

Proprium hoc habet virtus , vt vel  
sequaces faciat vel aduersarios , &  
quia non cuilibet datur illud assequi ,  
quod supremum est , hinc fit sæpissi-  
mè , vt irritis laboribus , non plus fa-  
tigata quam exasperata ambitio , fœ-  
licioribus studijs maledicat , illâmque

scientiam damnet quain suprà se emi-  
nere gemens agnoscit.

Illa eruditorum societas quæ in bo-  
num generis humani sata, tanto in-  
geniorum, tanto virtutum profectu  
vbique diffundit doctrinam suam,  
nitidissimâ luce velut astrum quod-  
dam nubes exciuit; quibus cùm tegi  
nequeat, molestatur tamen, inter as-  
surgentes vapores pulcherrimum cur-  
sum peragens; illi namque ab ortu  
negatum est, beneficam esse sine in-  
uidiâ & hostibus. Nec vulgare odium  
aut placabile; quicquid illa erudien-  
dæ plebi examinatus rectiusque pro-  
tulerit, cauillationibus subiacet, &  
malignâ aduersariorum subtilitate,  
fit scandalum audientis, & culpa do-  
centis.

Vt dogmata quædam sapientissi-  
ma non admitterentur, satis fuit apud  
plurimos, illi Societati placuisse; &  
quia veterū placitis adhærebat, nun-

quam exturbanda nouitate , factum  
est ex necessitate consortij , vt etiam  
cum illa oppugnaretur doctrina ve-  
tus. Ita ex personarum odio con-  
ceptum est bellum istud opinionum ,  
quæ antea cùm dissentirent , pacem  
tamen non turbabant, seque inuicem  
patiebantur, velut in mixto , sapien-  
tis naturæ legibus, coercita nec sibi  
permissa elementa modum seruant ,  
quo sanitas animalium non tantum  
optima , sed etiam sæpiissimè diutur-  
na est.

Plurimos esse , qui ex odio suam  
eruditionem acuunt , si non creditis ;  
extra omnem doctrinam de societate  
istâ sermonem cum illis habete , &  
quid intus lateat , quo fonte deriue-  
tur subtilitas quæ in recentis Theo-  
logiæ defensionem tam altè crepat ,  
statim patebit. ad inimicum nomen  
exæstuat ira , nullâ prudentiâ , nullâ  
arte domabilis ; quicquid in buccam

venerit , quasi in parte pietatis esset  
innocentiam sordidare , in immeren-  
tes effunditur , neque vñquam major  
censetur gloria , quām cūm plura in  
dedecus notæ pietatis inuenta sunt.

Castus armor feruet quidem , sed  
nusquam illius cæcum aut medullas  
depascens incendum ; dolore , insa-  
niā , agnoscitur infamis cupido , te-  
lum ex vulnere . ardor quoque ille  
qui non in scholâ tantum , sed in pri-  
uatis plurimorum colloquijs info-  
lenter adeò emicat , nimis certè atrox ,  
vt religiosus credatur . Charitas vrit  
suauiter , & quia ipsa etiam sine fu-  
mo , quisquis ad tactum illius ignes-  
cit , similiter innoxius est , nec vici-  
nitate suâ aliquem lædit , aut decolo-  
rat . Credibile ne est eos non flagrare  
 odio , qui doctrinæ suæ calumniam  
ita intexuere , vt ab irâ & liuore ar-  
gumenta eorum expedire omnino  
nequeas , si secernere ista velis , devtrif-

que, distractâ causâ, facilius rectius-  
que iudicaturus?

Ea arte sculptor aliquis statuam  
Mineruæ effinxit, ut in ipsâ Deâ arti-  
ficiis vultus emineret, quem manere  
necessè erat nisi totum signum solue-  
retur. Non alio modo libri quidam  
concinnati sunt; cùm enim in gra-  
tiam opinionum quibus æger mun-  
dus laborat, videantur compositi,  
inter nouitatis axiomata, suam quo-  
que figuram opifex calumnia osten-  
tat, neque sinit in Theologico opere  
plus latere iniurias, quàm litem ip-  
sam. Atrociora ne scripsissent autho-  
res isti in optimi instituti sectatores,  
sacerdotio, doctrinâ per totum or-  
bem, tabescat licet inuidia, conspi-  
cuos, si Lutherus aptasset calamos,  
illudque atramentum ministrasset,  
quo ille candorem Ecclesiæ, & sibi  
exosi Pontificatus dignitatem labe-  
factare conatus est.

Nihil

Nihil præclarius dici poterat in laudem puellæ illius militaris quæ Rege, sed non imperante in Galliâ Carolo septimo, Anglos fugauit, quâm quod ex illis vnuſ conscientiâ cogenite effatus est; virginem scilicet dignissimam quæ apud posteros omni encomio celebraretur, ea enim gessisse, quæ viri fortiores stuperent, & desperatae patriæ pristinam gloriam restituisse. Verum non omnino fuisse absque scelere, quia inter hostes Angliæ nata, pro illis etiam felicissimè pugnauerat. Quid non mortalia pectora cogit, immanis rabies odij? quia Gallicum aërem hausit nascens, puerilla; & adulta, Britannicas fudit acies, in crimine est, ijsdem iudicibus qui eam damnauerunt, reuerenda, nisi natalium innocens scelus, ream fecisset, armorumque fœlicitas. Galliam non oderint Angli, furor in Ioannam quiescer, & pyræ loco thronus

O

struetur , vnde illa sine ardore fulgeat.

Quædam datur doctrina , quæ ideo tantum plurimis odiosa est , quia in honore apud illam societatem , quam liuor improbus , & alienæ famæ obtrectatrix superbia ferre non potest . aliud doceant quam solent , iij in quos sicut inuidia , illico , tanquam nouâ luce obortâ , applaudetur illi opinioni quam abiecerint : scio multos non eo animo sentire quæ sentiunt , ipsamque doctrinam , sæpè licet in hoc quoque decipientur , ex merito suo , non ex professorum statu damnare , aut amplecti . sed non omnes qui insano fremitu infesti sunt , eâ sinceritate peccant , & plurimis exciderunt verba quibus acerbitas animi detergetur .

Illud addam : non omnia prælia odium facit , frequenter enim conflat exercitus solius gloriae cupidus , sed

non diu sola inter dimicantes digna  
censetur periculis emi, & vitæ impen-  
dio. Post accepta vtrimeque vulnera,  
surgit odium, & pulsâ quæ prius ad  
arma vocauerat famâ, rabies sola at-  
tenditur, & fundendi sanguinis fæua  
voluptas. Sæpè fit etiam inter Theo-  
logos dissentientes, vt à gloriâ inci-  
piat disputatio ; sed in conflictu quis  
neget aliquando accendi animos, &  
ea concipere odia quæ æterna sunt ?  
Ideone ambitio minor, quia non de  
imperio , sed de scientiæ palma agi-  
tur , & in togâ pugnat , & fæuit ?

Restat vt de ijs aliquid dicamus qui  
ex occasione inquieti sunt, sed quia  
iam longius sermo progressus est, ad  
compendium verba conferam. Na-  
ues maximæ in medio pelago , velut  
immotæ videntur , & nisi vrgeat dira  
tempestas , habent pondus suum pro  
anchoris ; non sic minuta nauigia , ad  
quemlibet enim yndarum impetum

O ij

deprimuntur aut saliunt, & modico  
vento scapha in periculum mittitur,  
quia deest illi, quæ triremes fundat,  
grauitas. Idem existima de faciliori-  
bus ingenij. pondere carent, & ideo  
illis quæ spirat ventus, aut inclinat  
vnda, cursus est. exigua saxa, & in  
aquam decidétes herbas torrens abri-  
pit, rupes manent. Miraris turbidio-  
ra ingenia leuibus animis, nec mali-  
gnis tamen, contulisse suum impe-  
tum? hoc necessitatis est, non iudi-  
cij. quosdam inuenias equos sarcina-  
rios, qui ita nati sunt ut si gregatim  
incedendum est, nunquam priores  
gradum faciant, ad quodlibet iter, si  
ducem dederis, parati & faciles. Et il-  
lud inter homines videbis; plures  
námque inueniuntur, quos exem-  
plum non natura inquietos facit, cæ-  
teri quiescant, ipsi quoque paci stu-  
debunt; da antesignanum, & præ-  
uios commilitones, sequentur vltro,

& etiam sœuient, ne à furentibus ex-  
probreter illis, pax sua.

Satis meo iudicio de turbulentis  
hominibus; & sol ipse cadens monet  
nos iam multum temporis effluxisse  
ex quo in Apollonij ædes successi-  
mus. Multum salue, Apolloni, diu  
est quod patientiam tuam defatiga-  
mus, & iam ipse tu, datâ prior salu-  
te, incommodos nec aduertentes  
amicos castigare debuisti. Ille solitâ  
comitate ad cœnam inuitatos cùm  
retinere non posset, ad remotores  
vsque fores comitatus, cùm osculis  
dimisit.





GYNOMACHIA,  
SIVE MULIERVM  
CVM THEOLOGIS  
conflictus.

*QVINTA DISSERTATIO.*

 VLA tumultuante , feces-  
serat in villam suam ami-  
cus noster Artemius , specie  
quidem leuandæ infirmita-  
tis ex aëris mutatione , reuera vt otio  
frueretur ; & periculosa negotiorum  
administrationi subtraheret assue-  
tum vtilioribus curis animum . Ne-  
que squalida , & fouendo apta mœ-  
rori solitudo quam petierat , vir ho-  
nestis voluptatibus æque ac paci na-  
tus : eâ quippe rerum amœnitate con-  
spicua erat , quæ captiuo & exuli , post

abcißas spes , damnatāmque fortunam , placere potuisset.

Ex modico colle , liber in porre-  
ctissimos campos , serpentēmque per  
diuersos errores fluuium , prospectus ,  
domum commendabat , inter vine-  
ta & frondosas v̄lmos non inuidiosè  
surgentem , verū ex forma , nec  
vulgari , nec superba , & ex mundi-  
tie , quæ vbique pari honore fulge-  
bat , Senatore , & Philosopho dignam .  
præcipuis partibus , quarum in inte-  
riori ædificio potior cura est , parca  
manu cum auro , marmor additum ;  
vt inter artis delicias non periret mo-  
destiæ decus , sobriæque & sibi im-  
perantis fortunæ verecundia . Parie-  
tes ad corporum sanitatem , stramen-  
to nexili , à summo ad imum vesti-  
ti , aulæis additis , etiam venustè ab-  
scondebant suam rusticitatem ; nec  
deterior reliqua supellex , cuius Do-  
mini esset , & quam sapienter cul-

O iiii

ti , ipso rerum nitore testabatur.

In singulis fere cubiculis , pictorum famâ illustrium Tabulæ plures , operosa manu elaboratæ : nulla tamen ex illis eam æquabat quæ in triclinio cernebatur , Troianum excidium ita ob oculos ponens , ut ardere domos mox casuræ vrbis putares : Creusam circumfusa flamma corripi , dum in fuga hæret & flagrantes gemmas deferere , non satis sustinet mulier in ipso vitæ discrimine ambitionis . Priamum , Hecubam , virgines regias , ad cadentis regni conspectum , dolere simul & irasci , artifex manus fecerat ; inter militem & flamمام , pauere , fugere , in incerto fati attonitum vulgus : festinare Æneam , vix ab incendio vindicantem onus suum , patrem & deos . Neque sœuiens ignis totam tabulam implebat . yltimis prælijs locum suum reliquerat pictor , ut quid posset militaris desperatio ,

& pereuntium extrema vis, suo penicillo exprimeret. Nihil in illa armorum confusione æquè oculos morabatur, ac Diademate insignis, cum suâ mulierum manu Pentesilea, effusis in tergum crinibus, stricto ferro, & ad ignis nocturni splendorem micante, nudatis ad cubitum usque lacertis, in viriles copias eo furore, eo successu irruens, ut multi sub spumantis equi vestigijs, obscenè premerentur.

Secessionis suæ comitem me voluerat, cum nostro Marcellino Artemius: nec inuiti, oblato otio, pacem habuimus cum libris, ut aliquot dierum interposita vacatione, iucundior nobis esset futurus labor, studiorumque repetita diligentia. In illis tamen remissionibus semper aliquid utile, & ad eruditionem spectans, ut inter gratissimos flores, optimi quoque fructus carperentur.

ad nutrimentum animorum.

Contigit aliquando, ut dies imbribus fœdus, manere nos cogeret in triclinio: cumque satis multa, ex occasione turbidi cœli, de aëris passionibus, agitata vtrimeque fuissent: objecta tabula, vbi tot viri mulierum manu cadebant, ad artis primū, quæ propè oculos falleret, admirationem, mox ad historiam sermonem deflexit. Et certè, ait Artemius, benè est, quòd apud pictores tantum & poëtas fœminæ fortiores sunt viris. Quis, putas humanarum rerum status esset, si vero robore præualerent, quæ etiam ex hoc vanæ sunt, quòd in fabulis & in artificiū tela militant? Multò ante Virgilius quam iste pictor hanc nobis iniuriam fecit, ut in Amazone, infirior sexus viros sterneret. fortassis ne Liuia Augusti in Æneide desideraret de sexu suo encomium: & ne regnantis fœminæ

ambitioni, omnino deesset poësis,  
tot Imperatorem demerita versibus,  
qui ab eo amplissimam mercedem  
obtinuerunt. Sed an existimas mili-  
tares vnquam fœminas fuisse, quæ ita  
bellis studerent, vt ad pensum essent  
ineptæ, & adeo viros aspernarentur,  
vt vocatos semel in anno, exturba-  
rent finibus suis postquam matres ef-  
fecissent? aliquas inueniri, quarum  
tanta sit continentia, vt virorum vul-  
tus ferre nequeant, facile concesse-  
rim: Sed in hanc animi corporisque  
castitatem consensisse tot mulieres,  
vt maritos toto ferè anno odissent,  
quis credat, nisi qui eminentissimam  
virtutem inter vulgares animi dotes,  
quæ totius regionis esse possint, re-  
tulerit, neque satis conceperit men-  
te, quàm arduum sit, in numerosa  
plebe de pudicitia consilium?

His dictis quid sentirem scire vo-  
luit Artemius: vocatámque vxorem.

blandè iussit accedere, illud enim iam tractari, quod à litteratis, nihil læsa sexus modestia excipere mulier possit: tum ego. Sua cuique laus ex merito reddenda est, nec ideo inter fabulas numeranda fortitudo, quia in debiliori sexu enituit. Vbicunque est virtus, virilis est; & sæpè in fœminis stupenda patrauit, ut eo miraculo vanitatem illam maceraret, quâ nos viri existimamus, virtutem quidem, extra nos, gratiosam esse posse, at non generosam, magna audenter, neque dignam timeri.

Verè extiterunt Amazones, eo robore, ea pudicitia inclytæ quæ vix apud nos fidem inuenit; quidquid enim magnum, prioribus sæculis à natura ostensum est, nisi & oculis nostris subijciatur, ipsa sui narratione, suspicionem immeritam facit, difficilesque ad accipiendam veritatem animos, qui nisi solitis & con-

muni lege fluentibus non credunt.  
Non apud Poëtas tantum , Pentesi-  
leam inuenies ; etiam in historijs pu-  
gnat & vincit. Phrygcs cogit spera-  
re , fundit Græcos , victoriam librat,  
& tandem Achillis telo pulcherimè  
cadit , vt scias bellatricem Reginam ,  
vinci nisi ab inuito non potuisse.  
hæc propè Tanaim & Thermodo-  
ontem fluuios Thronum recepit ex  
materna successione : mox , vt fortior  
ætas bello aptam fecit , regendoque  
exercitui , ita fœmineis legionibus ,  
& prudentia militari potens , vt ti-  
meretur à regibus .

Neque in Asia tantum , mulieres  
sine viris imperauerunt , Aphrica quo-  
que suas dominas habuit . Numquam  
fœlicius Regnata , quām illorum do-  
minatu , quas Lybias appellauere . Nul-  
las nunc extare Amazones , quæ suam  
Regionem armis tueantur , virōsque  
sic fastidiant , prorsus crediderim ,

quidquid dicant de fluuio, qui ad nostram vsque ætatem illarum nomine est celebris.

Fœmineæ Reipublicæ pulcherri-  
mam imaginem in Gallia nostra vidi.  
Palatium ingens in sui sexus com-  
mendationem, extruxit nuper Prin-  
ceps mulier, ea domus castitate ut nec  
viros in lapide admiserit: nullæ enim  
nisi mulierum statuæ vastissimam  
ædem exornant. Major pars ex Plu-  
tarchi fide ad memoriam gestorum  
suorum spectatores ita reuocat, ut  
arbitrentur se legere quod intuentur  
in signis. Sacra tamen historia suas  
dedit, quæ inter profanas, religiosos  
oculos morantur sanctiori majestate.  
Nec præterita virgo illa Aurelianen-  
sis, quæ viðtrix, à prostratis tandem  
Anglis capta, ab ijsdeim igni tradita  
est, ut in ea Galliæ fatum & Trium-  
phus arderet. An non regionis Ama-  
zonum veluti figura est inclyta do-

mus, vbi tot absque maritis fœminæ conspiciuntur, & in qua sculptoris crimen fuisset viros fingere?

Hæc non sine risu Elpis audiuit, sic vocabatur Artemij vxor, sed Marcellino afferente, nostro quoque sacerculo mulieres inueniri quæ prælijs gaudent, & ad arma fortissimos quosque prouocant; Quæsiuit illa, vnde earum genus, & quæ cœli pars generoso influxu fœmineis pectoribus virilem animum infereret?

Non diffitæ, inquit Marcellinus, regionis miracula hæc sunt, apud nos geruntur quæ referam. Iam Gallia Amazones suas habet, quæ ad tubam magis quam ad Cytharam mouentur, & viris animosiores pericula querunt, quibus suam famam commendent; & frequenter licet corruant mulieres istæ, prælijs tamen atrocioribus mixtas videbis, vultu incenso, minacibus oculis ipsoque

clamore terribiles , vt si fortiori manu in pugna cadendum , hoc saltem deiectis infelicium armorum solatum sit , victoriæ pœnam præmaturis vocibus occupauisse. Sed quid suspensos video animos vestros ? Ænigma soluam. Mulieres de Theologia cum nostris Theologis certant ; imparia certè arma , verumtamen non raro collata ; vt iam doctores non pudeat , cùm lapicidis & tonsoribus congregati , quando cum fœminis intercedit de doctrinæ palma , disceptatio.

Permitte , Elpi , quid de tuo sexu sentiam , coram te dicere ; non adhuc vos mulieres natura formauit , vt sublimiora scientiarum secreta nosceretis. Altior Parnasso Theologiæ summitas , & si in illam eniti vobis liceret , aliquis tamen Apollo sacro vertici præficeretur , ne Musarum concentus ab harmonia cito defleteret ,

Et eret, quæ semper præcentore viro  
constantior est; dociles, non doctri-  
nes Camœnas Poëtæ fecere, inclytis  
licet parentibus natas, Ioue & Me-  
moria, ut fœminæ sui modestiam se-  
xus, etiam ex fabulis discerent.

Vobis conceditur acus, lana, spe-  
culum, nec non ad scititij capilli, si  
vobis propria defit cæsaries, peplum,  
cothurnus, totus denique mundus  
muliebris, qui formam auger aut  
turpitudinem celat; ijs utimini, & si  
vos ad majora vocat animus, his ad-  
dici non sustinens, illos per uoluite  
libros, quos capere queat mens fœ-  
minea: versus legite, nam & fabulis  
scatent, & ad cantum accedunt. Ne-  
que vobis historia prohibetur, quæ  
fallendis horis aptissima est, & iucun-  
dè veritatem menti infundit. si pla-  
cent arma, etiam bellis miscemini, sed  
otiosæ, & præteriorum certaminum  
equæ iudices, statuite, quid quisque

virorum illorum, qui mundo dum  
viuerent, pacem inuiderunt, de po-  
steritate meruerit. Parum est quòd  
historici sententiam vestram expe-  
ctant? & eos habete libros, qui ita de  
diuinis sunt, vt meminerint authores  
se plebi loqui; quæ cùm multa scire  
debeat, plura tamen fœliciter igno-  
rare ita notum est, vt si neges, expe-  
rientia ipsa reclamet, & quotidianum  
penè miserorum naufragium, qui al-  
tiori doctrinæ, velut oceano, credi-  
ti, cùm enatare non possent, perie-  
runt.

Erubet se Elpis, se tamen non  
perstringi rata, probauit Marcellini  
de mulieribus iudicium, suauiter ro-  
gans, vt illas in gratiam matris lenio-  
ri sermone prosequeretur, sine qui-  
bus nec vir esset.

Artemius quilibet literatrices fœminas  
sciret ceruicolas esse, & viris suis gra-  
ues, iam remissiorem Marcellinum

vetuit, contemplatione suæ vxoris, ea tacere quæ dicenda prorsus essent. & adhuc eo silente, Quid cunctaris, inquit, profutura nobis eloqui. Non ex ijs mulieribus, Elpis est quæ viorum munera usurpant. Sine maritum breuiter laudare vxorem suam; solidæ pietati studet, ita in templo frequens, ut familiae curam non deferrat, quæ in muliere non minima sapientiæ pars est. audire scit & exequi placida mente quæcumque iubentur, & etiam, quod in plurimis frustra optaueris, tacere. non ex impudicitia solum, fœminis perire frontem, sed etiam ex inepta librorum, qui sexum superant, euolutione, probè nouit vxor mea; & vt scias quantum ab ijs distet, quæ audacia sua non minus sibi quam litteris contumeliosæ sunt, oblatos à pluribus libros ita non legit, vt etiam ab authorum nominibus abstinuerit. Ne igitur time, in

eas inuehi mulieres , quas gaudebit traduci Elpis , & de quibus numquam satis dicetur , quòd fatuæ sunt.

Securior ergo , ait Marcellinus , sermonem prosequar , & celeberrimi certaminis promam causas , arma , successus . Scire enim iuuat quibus tubis otiosæ primùm mulieres , à speculo ad arma accitæ sint , quibus auxilijs pugnant , & quis tandem belli exitus maneat superbas & contumaces .

¶ Quædam nostro sæculo , hærefes non dicam , opinions eruperunt , turbandis ingenijs aptissimæ , & ex eo solum placituræ , quòd insolitæ sunt & acres ; portentorum instar , quæ licet spectatores suos terrentia , non sine quadam oculorum voluptate conspiciuntur . ea est enim natura hominis , vt consueta paruipendat , & laborantem potius solem miretur , quia non frequenter deficit ,

quām cumdem vultu solito effundentem in terras, splendorem suum.

Da infantem quem seruata naturæ lege, omnibus absolutum membris, prægnans mater effuderit, nemo accurret; da monstrosum & bicipitem, ad videndum quod nolis esse, fiet concursus; & soluta pecunia, si aliter fores non patent, emet vnusquisque horrorem suum. Sice esse puta de istis opinionibus, quas nuper ortas, plurimi, quod certè mereris, tremuerunt simul & amplexati sunt; fidem enim illis adhibere, pauor est mentis, & miserrimæ gloriæ quædam species, quæ reluctantes animos ad id trahit quod formidant.

Minima tamen Galliarum pars, periculis obscurisque sententijs dedit suffragium suum: Nam quid sentire deberet à veteris notæ doctoribus admonita plebs, ita fastidiuit recentes, vt eos non parùm suspicione

sua infamauerit. Accessit concionatorum zelus, audáxque pietas, quibus coërcita multitudo, in ijs man sit opinionibus quæ securiores multò alijs, etiam mentes tranquillant, Quid ad hoc, nouorum dogmatum assertores? nihil tutius visum, quam mulieres subsidiarias aduocare, vt quod argumentis illi non poterant, id loquacitate efficeret sexus numquam minus tacens, quam cum ea fari iubetur, quæ omnino non capit.

Quid miraris, Artemi, & quid tu, Elpi, frontem obducis? ista est. spargendis in incauto vulgo de Religione opinionibus, mulieres aptiores sunt viris. Nam quis eas amabit lædere si ipsæ lædant? quis ex ignorantia reas Episcopo sistet? quis silere imperabit? vel tandem, confusas adiget ad suæ imbecillitatis confessionem? apud viros reverentia certè est sexus illius, cui debent quòd nati sunt, & vt sin-

cerius loquar, viri penè omnes in eas  
proni, Philogynia laborant. Quæ-  
nam ergo subtilior ars, quæm ijs euul-  
gandam opinionem tradere, quas ne  
viri offendant, prohibet insitus amor,  
& naturæ ipsius malignitas?

Muliebre ingenium vulpi simile  
est; non fortitudine pollet, sed indu-  
stria, & ideo in quibusdam regnis,  
vbi viri summam rerum tenent, si  
qua apud exteras gentes est obeunda  
legatio, cōmittitur fœminis quæ arte  
præstant; quæ natura duce fingere  
doctæ, negotiorum præstigijs vtiliter  
abhibentur, & cominoda, plerisque  
rebus, animi seu imbecillitate, seu  
versutia, repulsam patientiùs ferunt.

Ad disseminandas de Theologia  
terribiles sententias, solerter mulie-  
res in Apostolos sunt mutatae: quæ  
etsi, præ infititia, varijs linguis non  
loquantur, vernacula tamen vnica  
id efficiunt, vt in totam Galliam so-

nus exeat, quo orbem repleri maximè optarent, qui se mitti à Deo arbitrantur, ut omnia inuertant.

Inter Diui Pauli notissimos persecutores, inueniuntur & fœminæ Religiosæ quæ zelo altaris Domini, ferre non poterant Saluatoris Euangelium, adeo deceptæ ut crederent se Mosi inofficiolas, nisi Christum ipsum tollerent. Clamosum animal mulier, & suo tinnitu ita replens aëra, ut quando vellet, tonantem Apostolum plures audire non possent: nec enim, sicuti ranæ, quæ ad imperium Cæsaris conticuisse dicuntur, sexus hic silet, cùm se audiri iubet Deus; tumultum duplicat si prohibeas, ex verito clamosior.

Simon Magus suam Helenam adiutricem erroris nonne habuit, quæ per domos leni susurrū venenum auribus infundebat, quod ille publico sermone propinabat audacius? plu-

res verò, non vnam, secum ducere solitus erat Nicolaus quidam Antiochenus, id in sua secta optans, quòd in fama aduerterat, ore multiplici, quodcumque sciri vult, spargente: & Psaphonis instar suos Psitacos caueâ emittens, qui repetitis vocibus edocti quid deberent garrire, vbiique clamabant acceptum Deo vi-  
rum, veritatis assertorem, Propheta-  
tam. Quid autem Marcion? Prodromam mulierem habuit, quæ Romam venturum multò ante annunciatet, & ignoti adhuc hominis faceret desi-  
derium; ea subtilitate vfa, qua & olim Heliogabalus, qui Romanos, præmissa imagine vultus sui, voluit ex pictoris commendatione, amare & mirari principem suum.

Montanus ditissimas fascinavit Priscam & Maximillam, quæ lingua simul & opibus iuuabant inepta de Spiritu sancto dogmata. Arrius non

prius orbem decepit quam fœminam principem , cuius authoritas tormentis bellicis vehementior , ea vi pulsauit Ecclesiam Dei , quâ plurimi ex Catholicis ceciderunt.

Pete nunc , cur nouæ opinionis feminatores , Persarum more , sine fœminis non pugnant ? verborum prælijs multùm equidem seruiunt ; nam odia facillimè miscent . vox non citò illas destituit , sicuti viros , ipsiisque sortitæ sunt ceruicem duriorem . Augent deinde mulieres sua præsentia numerum , qui in prælijs maximum causæ momentum est , & fortitudinis adeò speciem habet , vt antequam constet non multùm posse , semper multùm timeatur .

Eo consilio aduocatæ sunt mulieres , quas vt facilius ad bellum buccinatores accenderent , ijsdem suaserunt , nisi succurreret pius sexus ac misericors , interituram breui ger-

manam illam Theologiam , quam  
sub veritatis imagine hostes oppu-  
gnant. Promouendo negotio non  
pauci ex viris per domos propè singu-  
las missi , qui grandibus verbis , relu-  
ctantes primùm fœminas vrgerent ,  
vt relicto stamine , colo , cæterisque ,  
quorum ad muliebres artes usus est ,  
cito festinarent ad arma , & suo im-  
petu retunderent scholam audacem ,  
suis argumentis vincere adeò soli-  
tam , vt ab ea iustè timendum , nisi  
solueretur , proteruitate , numero , &  
præsertim clamoribus. Consensum  
elicuit tandem disertorum , suspiran-  
tiumque hominum vox sæpè iterata.  
Mulieres castrametatae , componun-  
tur ad certamen , aptant gladios ; &  
nihil iam præter arma meditantes , in-  
consultis plerumque viris , se & ca-  
put suum clarissimo bello deuouent.  
Nulla in delectu legionum , seu con-  
ditionis , seu ætatis habita ratio : quot-

quot voluere, militiæ nomen dede-  
runt, non nobiles magis quam igno-  
biles; maritatè, cum viduis, pulla  
veste, scholæ saniori funestos exitus  
minantibus; heræ, pedissequæ; ado-  
lescentulæ, anus: nec ex prudentia  
visum vno loco consistere militares  
turmas: effundūtur passim, per vrbes,  
per agros; dumque nobili prælio il-  
lustrior pars, vel in aulâ, vel in opti-  
matum ædibus digladiatur; altera in  
officinis, sordidiori pugnâ, obscu-  
ros hostes aggreditur, aut in nundi-  
nis certat.

Quis autem non stupeat generosi  
sexus ingenium, solertiam? signa sua  
habent mulieres istæ, non Aquilas,  
non Lilia, non Turres, sed alia quæ-  
dam quibus secernuntur ab hostibus,  
&, vbi opus est, vndelibet conue-  
nientes, citissimè agglomerantur,  
Quæ autem signa? libri quidam re-  
centiorum in sublime elati, & suprà

cæteros authores opininum nouitate conspicui, dispersas aduocant, & in vnum corpus cogunt. Neque minus quam apud Romanos, templum exercitus vocatur, locus ille, vbi signa figuntur & fulgent, tanta est enim librorum istorum apud pugnaces fœminas reuerentia, vt pro altaribus habeant.

Ex his etiam didicere aliud quam cæteræ loqui; ne ex sermonis confortio temerè turbis misceantur, cum quibus nulla pax intercedit. Igitur & illas constantissimè fugiunt, nisi doctrina habenda sit disputatio, & spes detur victoriæ.

Sæpè etiam ab illis Theologi nostri ad pugnam compulsi sunt, & neficio qua animi deiectione, se viros oblii, ignobili bello sustinuerunt traduci famam suam. Memini me cum in Allobrogum Regionem essem, Aquilam vidisse, quæ cum fame ex-

timulata canem occidisset , odore  
prædæ accitos coruos , picas , mil-  
uos , auesque cæteras quæ cadaueri-  
bus pascuntur , ita despiciebat , vt vo-  
ciferantes circa se bestias , & accede-  
re metuentes , ipsa , placidè suâ victo-  
ria potiens , nec solùm aspiceret . Ec-  
quid aliud hoc , quàm Theologorum  
exprobratio ; qui tumultum mulie-  
brem ira sua dignum existimantes ,  
aliter ineptissimum murmur exci-  
piunt quàm risu aut silentio ?

Sed andis apibus , quæ inter se non  
minima aliquando odia exercent , fa-  
cillimum remedium est .

Hi motus animorum atque hæc  
certamina tanta ,  
Pulueris exigui iactu compressa  
quiescent .

Hac arte turbantur bellicosæ , po-  
nunt iras , & ad alueos suos redeunt .  
Numquid ipse armatur Aparius , qui  
muscas certare prohibet , mellificio

certè nobis commodas , at non rixa ,  
aut prælijs ? non semper mulieres in-  
cumbunt floribus , delicatæ : sæpè  
acres tumultuantur , pugnant , sæ-  
uiunt ; Qua ratione Theologus men-  
tem reddet furiosis ? ita se gerat ut  
dum in eas sapienter inuehitur , ne-  
mo illum existimet se miscuisse abie-  
ctissimo certamini . quasi ludens tur-  
bet magis iam confusas , stridentes ,  
aculeis non plus in aliorum perni-  
ciem instructas , quām in suam , &  
imperio magis quām disputatione ,  
cogat ad illud opus redire cui natæ  
sunt . Non enim inutilia vſibus hu-  
manis animalia , si mellita non arma-  
ta , & ad familiæ bonum mouentur .

Ex Aristotele accepimus quosdam  
reperi in extremis Indorum finibus  
lapides , quorum arcana vis illud effi-  
cit , ut quicumque illos aspicerit , il-  
lico raptus & anhelans obmutescat ,  
ex ijsque casu inuentis , Admirationis

templum iubente Alexandro constructum fuisse , quod nemo nisi mutus & stupens spectare posset. Quotquot numen adoraturi fanum intrabant , ab ipso limine attoniti , clinques , non prius sermonis usum recuperabant , quām in silentij remedium , obductis palpebris , aut pallio caput amicti , domo illa excessissent. Nulla apud nos eiusmodi saxa , quibus obiectis retundi possit , mulierum de Theologia disputantium importuna loquacitas ; & in ipso certè admirationis delubro verbosæ existerent , si staret adhuc ædes illa , cuius intuitu , viri magis , ut existimo , quām fœminæ tacebant. Una ergo silentij spes , si semper loqui sinantur , quæ numquam satis iudicio suo ; ipso enim verborum perpetuo cursu , lassabitur sexus ille , qui ex ratione & reuerentia dignioris tacere nequit. At non semper loqui permittes , si

cum

cum illo disputationem ineas , quæ non minus silentio quàm verbis constat ; vt ordine quodam iustitiæ , & alterna veluti patientiâ , respondentis fiat auditor , ille ipse , cui aggrediendi concessa est facultas .

Vbi rupes concavæ & reddedæ voci idoneæ sunt , Echo prouocata iterat sonos , & vltima verba viætrix concipit , ne prior videatur conticuisse . Sapienter verò , hanc olim fuisse pueram Poëtæ finxerunt , quæ cum ardenter amaret , non redamata , morbo contabescens , ita in saxum conuersa est , vt tamen adhuc lacesita loqueretur ; nec ante sileret , quondam fœmina , quàm ille , qui ad colloquium verbosam inuitasset . Vis ut fileat Echo , tu file , & tacentem cito habebis : vbi sola est , non fatur , relinque illam sibi : Et ex hoc agnosce , quantus sit Theologo labor cum muliere disputare , quæ te differente gar-

Q

riet non expectatura ordinem suum;  
& cùm questioni finem, grauissima  
cōclusione dedisse te speraueris, sem-  
per tamen instaurando certamini,  
inueniet linguax, quòd docenti re-  
pondeat.

Et supra fœminam te esse, inde  
conijcio, ô Elpi, quòd huc vsque cùm  
posses sexus tui te patronam exhibe-  
re, siluisti. laudo te, laudo te, minus  
enim illum quàm ipsam veritatem  
amas, quæ etiam apud pictores virgo  
est, & fœmini generis apud Gram-  
maticos, vt communione sexus, illa  
vobis non displiceret, quæ sæpius ore  
libero muliebres culpas perstringit, at-  
que exagitat. Audiui aliquando, re-  
tulit illa, virum caput esse suæ vxo-  
ris; & hoc apud Apostolum inueni-  
ri, nuper quidam ajebat Ecclesiastes:  
ne ergo mirere me nihil loqui : ca-  
put meum Artemius filet, auidus ser-  
monum tuorum auditor, neque fas

est sub capite muto corpus esse vocale. Artemius ad hæc, non sibi temperans, & præ gaudio exiliens, a surgenti vxori manum porrexit; eam sibi semper virtutibus eximijs placuisse testatus, hodieque magis, in communi sexus sui causa, voluntario silentio.

Tum sedatâ lætitiâ, cæteris quæ à se expectari voluerat Marcellinus, auris data est: Quibus buccinis incitatae sint ad Martem mulieres, iam scitis inquit; nunc de armis loquamur, quibus vel contextæ excipiunt hostium ictus; vel formidolosæ aduersarios suos insequuntur & feriunt. Sed antequam sermo procedat, vnum monebo, risum compescite, amici, nam fortassis occurret. Quātūm scientia emineat supra cæteros doctores. Sanctus Augustinus ignorat nemo, humanam mensuram propè excessit ingenium illud, sæpè ea vi de rebus di-

Q ij

uinis differens, quæ stuporem magis, quam dilucidam, ab eo conceptæ veritatis cognitionem legentibus relinquit. Si aliquis in Ecclesia Atlas est, Augustinus certè, qui maximumrum quæstionum pondus, indefessus tulit humeris, & ea mentis altitudine fuit, quæ proxima cœlo puriori luce fruitur.

In plurimis Quæstionibus quas iurgiorum ferax ætas celeberrimo doctori dissoluendas proposuit, Eminentissimus ille Genius, non seruato gressuum humanorum modo, exultauit ut gigas ad currendam viam, & tanta spatia citus absoluit, ut ipse aduertens cursum suum dixerit aliquando, Quid ad me si quis non intelligat? ex conscientia admonitio : acutissimi enim authoris tanta sçpè est subtilitas, ut iure habeatur à multis pro oraculo : nam & digna est quam omnes suspiciant, & adeò diuersos in-

tellectus parit, verbis illius vtor, vt  
qui literati opinionibus non conue-  
niunt, æquali audacia, Augustinum  
sibi vendicent.

Armis suis dum viueret ille, mira  
certamina edidit, usum enim illorum  
nouerat; & in quos hostes potissi-  
mum valerent probe sciens, tanta  
prudentia ijs tegebatur, tanta ijsdem  
hostes vrgebat, vt nec in se locum  
vulneri daret, nec frustratis umquam  
ictibus feriret Christianæ veritatis  
inimicos, illo post multiplices lauros  
sublato, nobis tanquam hæredibus  
arma cesserunt; & his fœliciter, eru-  
diti inter nos viri pugnant, qui alti-  
tudine licet sua, sublimem Augusti-  
num minimè æquent, non omnino  
tamen dispari mole supra cæteros  
eminentes, dignissimo oneri succe-  
dunt, & ubi opus est, bellant.

Quis risum teneat, si cogitet no-  
stræ tempestatis mulieres, Augustini

spolijs indutas, ad pugnam procedere? non ijs fortiores euadunt fœminæ, sed incessu grauiores, & ponde-re ipso, adeò debilitatæ, vt inter sudorem, anhelantiumque suspiria, osfa crepent, sub Augustini ingenti-bus armis certare volentium. Py-gmæos equidem mihi videre videor, dormiente Hercule, clauam viri for-tis, vano conatu, non plus loco mo-uentes, quàm si alta quædam pinus illa fuisset, aut affixa solo rupes. Quid tibi cum hasta Augustini, mulier? abiectam trahis, non gestas; quid ti-bi cum ense, cuius capulum pusillæ manus molles articuli vix sine pellis attritu tangent, & ambire prorsus ne-queunt? Augustini cassis totum ca-put tuum cum humeris absorbet, di-micantem celat, solaque incedere ar-ma, quisquis te videt, credit, cùm ad pugnam festinas.

Vere, sine charitate Theologi qui

talibus vos subsidijs au<sup>t</sup>as , perire voluerunt. Ieuis armatura multo vobis conuenientior , qualis apud Poëtam , De<sup>x</sup> amorum , quæ erranti Æneæ , viam concinnauit.

Virginis os habitumque gerens & virginis arma. Ponderosiora ne sumite, quām quæ puer Cupido gestare consueuit : tenero exercitui, arcus & sagitta suffecerint ; sed plurimis phar|etræ vsum
|  |
 vetula ætas ademit? O vos dementes, si fortioribus prælijs miscemini , postquam rugosas & contemptas exarmauit senectus! Ad hoc ergo Augustini arma sumuntur, quia iam non conceditur leuioribus vti: & in illas turmas rejectæ estis , quas emeritas iure dixerimus , cùm presentibus annis grauescant , & neminem , imbecilles , ferire possint?

Festiuam insultationem geminavit ipse Artemius ludentem , inquit , cum sua Roxana Alexandrum Apelles

pinxit, & ne tunc quoque otiosa es-  
sent principis arma, cincinnatos Cu-  
pidines ijs indutos tam venustè ex-  
hibuit, vt qui conspiceret tabulam  
vix à risu temperaret; grandes ocreas  
bini intrauerant, & plures in lorica,  
velut in propugnaculo, assilientes  
cæteros in ea admitti, ita prohibere  
videbantur, vt speciem obfessæ vr-  
bis referrent. Augustiniana arma am-  
pliora multò sunt ijs quibus Alexan-  
der induebatur; non implentur nisi  
vastis ingenij: tota licet mulierum  
cohors in ea intromittatur, recipien-  
dis alijs semper dabitur locus, & va-  
cuum restabit. Sed placet à te audire,  
ô Marcelline, quod pollicitus es,  
quis ridicularum legionum succe-  
sus, quibus victorijs insignes illæ fue-  
rint? Idem fecere, inquit ille, quòd  
olim Sybariticus exercitus. ea gens  
adèò delicijs fracta, vt nec equos ge-  
neroſos apud se pateretur; bello enim

natos ita ad musicæ concentum moueri docebant , vt si aliquando prælium vrgeret , non in hostes furiosi irruerent , sed tibiarum suarum memoris , saltarent bellissimè . Non fœlicior nouarum Amazonum acies : pugnauerunt illæ quidem , etiam in eruditos , vt aiunt , sed eo vestigiorum tenore quo mouentur ad fides . adeò concinnè , blandulè , vt numquam syluæ venustiùs , cùm relicto patrio solo trahentem Orpheum sequerentur . Non illæ itaque metum incusserunt hostibus suis , verùm iucunda quadam miseratione , eos omnes affecere in quos pugnatum est , vt dubium sit , plus misericordiæ quàm risus , cùm ferox voluit videri , sexus ille excitarit .

Prima , vt fertur , Clælia maritum suum bonæ indolishominem docuit , quid de Religione sentire deberet , quid loqui ; ille parere solitus , ne tunc

quidem ostendit se virum ; indignan-  
tique amico quòd à muliere oracu-  
lum peteret, respondit, certiora à fœ-  
minis olim redditā ; Socratem, Dio-  
timam audiuisse nullā virilis Philo-  
sophiæ verecundiā ; & Sybillas, rece-  
pto Deo , habitas ipsis sacerdotibus  
doctiores . Pauci istius exemplo vxo-  
ribus suis se in disciplinam tradide-  
re . plures quòd tumultum garrien-  
tium ferre non possent , silentium  
imperauerunt . mitiores aliqui au-  
daciam illam perditæ mentis mor-  
bum esse existimantes , consuluerū  
medicos , qui omnes purgandum ce-  
rebrum censuerunt , ab ijsque omni-  
no libris abstinentium qui furiosas  
effecissent .

Apud Romanos sœuiente olim  
pestilentia , ut facilius cadauera viro-  
rum , cùm ijsiusta persoluebant , flam-  
ma corriperet , excelsis functorum  
aggeribus aliquot etiam mulierum

corpora miscere mos erat, quod pingua magis & nutriendis ignibus aptiora, nec nisi lentissime absque fœminis, sexus alter cremaretur. Aliquos qui cum nouæ opinionis mulierculis familiares sermones conferre assueuerunt, illo igne vstos non negauerim; muliebris enim flamma, rapida, acris, & in viros quosque frigidiores, ni recedant, citò transiliens; sed de ipsis ignobilis prorsus victoria, qui iam noxio amore flagrantes, ne gelidi apparerent, nouo incendio ardere voluerunt.

Finierat ille, cum ego hæc; Iste saeculi Genius est, ô Marcelline, ut iam ex sermone mulieres à viris non diognoscantur. Nam Theologicas veritates tractare gestiunt, citant Patres, viris suis, ancillis suis, ut tu sapienter dixisti. Verum quidem, ait Marcellinus, citant, sed ita improbe, ut sexus ambiguitatem tollant omnino;

nam nec ad rem , nec sine Patrum iniuria , quorum sensa non capiunt ; quidquid atrectant siue Bibliorum , siue veterum authorum , qui de rebus sacris eruditissimè scripsere , inficiunt aut dilacerant inscitia sua , ut semper , cum doctrina exultæ volunt videri , sint mulieres .





VIRORVM  
FORTIVM NOVA  
SPECIES, QVIBVS PRO  
VIRTUTE IMPIETAS.

*SEXTA DISSERTATIO.*

 LINIAS à Leontio acceperat , libris mihi omnino interdictum , ut somnus qui pertinaci lectione , & intemperanti per uigilio exulauerat , remissionibus , & inertи quadam laborum pœnitentia reuocaretur . aquelli à libris , cum in illos charitas est , crucem sciebant , & acerbius morbo quem leuare eā abstinentiā velis , remedium . Ideo miserebantur , interdumque dicebant , abstinentissimæ vitæ mihi au-

thores esse Medicos, qui auido literarum animo omnia penè alimenta prohibuissent. & ne inutilis mihi es-  
set eorum humanitas, placuit honestissimis viris me inuisere, ut mutuis colloquijs leniretur dolor ille animi,  
& otij verecundia ; assueto enim la-  
boribus ingenio , laxamentum , iu-  
bentibus licet Medicis, turpe videtur  
si nimium , nec facile apud operosos  
excusatur necessaria vacatio.

Accidit , vt cùm ipsi fores pulsarent, eâdem viâ transiret Isacius,Cli-  
niæ notus , non mihi aut Leontio ;  
sed ex amicorum relatione , mei vi-  
dendi cupidus , & de quo etiam vicif-  
sim multa audiueram , quæ mutuæ  
consuetudinis desiderium fecerant.  
Ergo non multum rogatus , cùm cæ-  
teris intrauit, vrbane excusans quòd  
authore & duce Clinia , tentasset suâ  
audaciâ patientiam meam. Non mul-  
ta certè est, inquio , Isaci , nam ad

Medicorum imperium penè deficit:  
verùm non tu inter remedia illa nu-  
merandus es, quæ cùm crudeliter pro-  
fint, iure timentur; dulciùs amico-  
rum doloribus mederis, & mihi fœ-  
licitatis maxima erit accessio, si me  
quoque inter cæteros admittes.

Infirmo iucundum de eâ quâ affli-  
ctatur inualetudine alios loqui, illam  
enim non contemni inde agnoscit,  
quòd cæteris curæ est, & digna vide-  
tur de quâ amici doleant. Clinias  
mensam sine libris aduertens, refer-  
támque varij coloris liquoribus; Hæc  
sunt (inquit) Firmiane librorum an-  
tidota? non eâ facilitate istas pótio-  
nes hauries, quâ venena sumpſisti.  
quàm miserabile supplicia sumi, non  
de sceleribus, sed de studijs, ipsám-  
que, post nobilissimos labores, va-  
pulare diligentiam!

Quodlibet peccatum habet pedis-  
sequam pœnam suam ( hoc ab Au-

gustino didici) & iustum quidem, vt  
reus admisso in Deum crimine, vel  
mœrore ingemiscat, vel cæcitate non  
doleat. pœna duplex, nec timeri æque  
digna, illa enim multo atrocior, quæ  
non sentitur, nec lacrymas mouet.  
hoc prouidentiæ diuinæ sanctissimus  
ordo postulat, vt singulis sceleribus  
sit veluti tortor præsentaneus, aut  
nox animæ, aut dolor. sed in Hippo-  
cratem peccasse, quid tam mag-  
num est, vt puniri statim mereatur  
tristissimæ artis contemptus, & in  
euoluendis libris non sobrius labor?  
iam omnes tibi prohibentur, quasi  
Sybillæ essent, & Senatus edicto pro-  
hiberere, scrutari ex eis Imperij, aut  
Principum fata.

Ad hæc ego, Amico indulges, Cli-  
nia, in Hippocratem simul, & ipsam  
naturam peccasse me non diffiteor;  
ea iam infirma est in singulis homi-  
nibus, neque nimio labore sollici-  
tanda;

tanda; & hoc aduertere debui, ne in eius offensam extenderem voluptatem studiorum. corpora olim robustiora, longiorem operam menti præstabant, & ideo forte doctiores eauaserunt, qui prioribus sæculis scien-tias coluere, quam qui postremo æu-nati, acceperunt ultima corporum cœlestium veluti dona, & fatiscentis naturæ reliquias.

Credis ergo, ait Clinias, ô Firmiane, à corporum statu deriuari vim illam aut tarditatem mentis, quæ nos ad literas vocat, aut amouet à studijs? & ideo fortiora fuisse auorum nostrorum ingenia, quia validior caro, officiorum patientior erat, & ad ingentes conatus sufficiebat? sed non quilibet tecum senserit: Etenim Aristotleles ipse, quem naturæ Genium vocant, debilis, paruus, &, vt secreteius lateret magnitudo illa animi, quæ præcepta viuendi priuatis homini-

R

bus , imperijs leges dedit , etiam gibbosus & balbutiens . Stuperendum planè quod legi ; nempe Academiam , (locus erat vmbrosus ab Athenis mille passus distans ) Platonii habitatam , quia insalubris non parum conferebat ad studium Philosophiæ , quæ robustos artus fastidit , nec nisi vi , & prolixâ patientiâ , in vegetâ carne potestatem suam exercet .

Diuinorum contemplatio vltimus est animæ nifus , illi tamen corpora imbecillitas adeo consentit , vt nunquam fortius se à mortalibus sancti eximant , quām cum deliquum patiuntur , solaqne illis restat sub imagine mortis , debilis & anhelans respiratio .

Nullus penè homo qui non aliquā sui parte laboret ; aut corpus titubat aut ingenium ; quæcumque dat natura , latè spargit ; vt non in singulos ea omnia cadant , quæ inte-

gram fœlicitatem constituunt ; sed  
in illâ disperitæ paupertatis necessi-  
tate , maxima plerumque est conso-  
latio , ijs quibus negatum est corpo-  
ris robur , ingenio valere & pruden-  
tia , scientijs frui .

Theocritum nouisti saltem ex no-  
mine , quis illo imbecillior , si corpus  
spectas ? quis fortior , si animum ? iam  
multum tempus est , ex quo podagrâ  
laborat , & lentâ febri conficitur ; in  
eo tamen statu admirationi est om-  
nibus ; nam statim ac quieuit dolor ,  
qui loquendi potestatem non fece-  
rat , mira pronunciat æger homo , &  
languidus , ut scias in iacente corpore  
erigi sapientiam , non sterni . pari ma-  
jestate Augustus Cæsar cùm morbo  
detinebatur , & negotia vrgebant , iura  
dabat ex lectulo . vnum mihi dolor ,  
Theocritū non aliter nosse quâm ex  
egregiæ fortitudinis famâ , & stupore  
corūqui ab oraculo isto ad nos redeut .

R ij

Ita Clinias , cui ego iam alia animo  
voluens quàm ea à quibus sermo in-  
ceperat ; Non optimam causam , op-  
timè agis Clinia : sed quæcumque  
protulisti liceat tibi credere : illud  
certè haud præteribo , pessimo exem-  
plo stabiliri non posse tuam doctri-  
nam. Theocritum dicis virum stre-  
num : Deus bone ! si hoc titulo iustè  
insignitur , & vos , Poëtæ veteres ,  
iusti fuistis , qui Acherontis & noctis  
filias , stygias canes , appellastis Eu-  
menides , id est beneuolas , cùm ali-  
ter gratiosæ non sint , quàm tædis &  
serpentibus.

Vir iste ex illis est , qui pietati bel-  
lum indixere , nec aliam habent sa-  
pientiam , quàm quæ mentes infat-  
tuat. Ignoras forsitan , Clinia , se-  
ctam hodie inueniri , quæ professâ  
impietate Biblia sacra pro fabulis ha-  
bet , neque tantum secretò abijcit , sed  
publicè deridet , eiurat Euangelium ?

Ad hæc cùm stuperet Clinias, di-  
cerétque, quòd si leges silent in tan-  
tâ numinis iniuriâ, neque in scelera-  
tos armatur potestas, non videre se,  
cur potius Iudæi regno pellantur,  
quàm istud hominum genus, quod  
eâdem audaciâ Christum tollit &  
Moysem. Ne mireris, inquit, Cli-  
nia, hæc magistratum nostrorum  
patientia, vt numquam exardescant  
nisi cùm Rex aut publica quies lædi-  
tur. pestem istam non probant, ab-  
fit, vellent certè extingui, sed expe-  
ctant, donec ipsa sponte desæuiat;  
vt nemo de clementiâ illorum dubi-  
tet, cùm viderit securam sub testium,  
& persæpè, sub iudicum oculis im-  
pietatem: non magistratibus curæ  
est, quàm bonis Principes nostri, sed  
quàm subditis regnent.

Vt autem scias, Clinia, me non  
immerito de impietate illa queri,  
Leontium interroga, Theocritum

R iij

nouit; si virum retegat, non sine maximâ vultus tui mutatione, quæ narrabit percipies. Tum Leontius non expectata Cliniæ percontatione: Libenter, ait repetam quæ certissima esse scio & doleo: licet enim ad audacissimæ impietatis memoriam renouetur indignatio quædam & mœstitia animi, iuuat tamen venena prodere, ne incautis noceant.

Theocritus iste eximus habetur à plurimis, multumque ad famam quod literis creditur instruētissimus; si qua tamen mihi fides est, infœlices eas habuit, & parcissimas; multum equidem loquitur imperitorum more, neque deest in verba effuso, beata illa garrulitas, quæ vacua licet rebus, aures tamen delinit iucundâ fluentique inanitate. memoria illi non omnino infœlix; si quæ nesciat, multa autem nescit, ad alia diuertendi quorum peritior videri potest, tanta hominis

ars, vt etiam ij qui proprius virum no-  
uere, & declinandis insidijs sunt in-  
tentiores, vix à quæstionibus quas  
fugitat ille, sentiant se auelli.

Cuiusdam Charondæ libro mirifi-  
cè affixus est, nec minori diligentia  
peruoluit Nauinum, cæterosque au-  
thores, qui non denuntiato odio,  
sed improbo marte, & insidijs Chri-  
stianam Religionem adoriuntur. ho-  
rum lectione, primùm frigidissimus  
effectus est ad res fidei; non multò  
post, Christianus nutans, nec obscu-  
rè ambiguus, ita vt quid profiteretur  
nemo sciret, nec ipse quoque. tan-  
dem quod inchoauerant libri, absolu-  
uit perditissimorum hominum con-  
uictus, & inter vina liberior impie-  
tas. Quid iam sentiat, quid etiam fre-  
quentissimè loquatur, referam.

Omnes omnino Religiones ex opi-  
nione esse indubie putat, & Princi-  
pum industriæ in subsidium legum in-

ductas, ut mortales, quibus præceps  
ad noxia impetus, si, aut ratione ip-  
sâ, aut reorum certissimis pœnis, ad  
rectam viuendi normam cogi non  
possent, saltem Numinis timore coe-  
cerentur.

Et illud constantissimè tenet, nul-  
lam actionem alterâ honestiorem es-  
se, nisi ex delirio opinionis, quæ in  
varijs gentibus diuersissima est, & ca-  
meleonte instabilior, quod in vnâ  
regione damnat, in cæteris absoluit.  
pudorem qui ad turpia non erubescit  
modò, sed & pauet sapientissimè,  
vano timore concuti, nihil enim tur-  
pe, nisi quod fœdum eadem censuit  
opinio, à quâ & castitas suum pre-  
tium accepit, ex difficultate magis,  
quàm ex merito suo commendata;  
ita quippe hominum ingenij facilia  
quælibet despicientibus, ut illud tan-  
tum mirentur, & diuinum putent,  
quod arduum.

Quid impudentius? quid impurius?  
quàm quod audiente me stolidissi-  
mus vir nuper effutij? emittendi cu-  
iuslibet humoris & qualem facultatem  
à naturâ esse concessam, nullumque  
sanctius retineri, quàm si homo tri-  
stitiâ grauis, ipsâ tamen obstinatior,  
à lacrymis abstineret.

Illud quoque frequenter comme-  
morat, fidem Christianam, non infu-  
sam à Deo mentibus fidelium, sed à  
parentibus merè traditam, & benefi-  
cio loci, in quo receptum est Evan-  
gelium, illam doctrinam ad nos per-  
uenisse, quam cæteris sanctiorem  
æstimamus.

Coniugij vinculum durius esse  
quàm quod sapiens ferre possit aut  
debeat, nec nisi contractu ciuili con-  
stare seruitutem illam, quâ coacta  
cupiditas, veluti in dolio vinum ef-  
feruens, tumultuatur & latius quærit  
effundi. hæc inter plurima eiusdem

notæ à suo Charondâ accepit, qui sub sapientis nomine insaniens, meruit aliquando eos habere censores, quos Rex non doctrinæ, sed negotiorum arbitros creat.

Veteratorem magistrum superauit discipulus Theocritus, sensim ad illam impietatem adductus, ut opinetur, extra mortalem hanc vitam nihil omnino sperandum aut metuendum esse; animas enim hominum, non minus quam brutorum interire, neque transferri, ut docet fides, fed finiri: quia licet multò subtilior sit anima humana cæteris ratione parentibus atque nobilior, materialis tamen existimanda est, siue illam dicas flamمام tenuem, ut ex calore; siue simillimum aëri spiritum, ut ex flatu potest coniisci, aut denique, elementorum concordiam, quæ tamdiu durat, quamdiu componendæ huic harmoniæ student, remissis ad mu-

tuam pacem qualitatibus, illumque ordinem seruant cuius effectus vita est.

Quid plura? Religionem autumat vtilissimam generi humano fabulam, quæ continendæ plebi inuenta, hoc solùm à sapiente obtinet, ut facie tenus patiatur se Christianum haberi, de cætero liber, & ea quæ populus stultissimè facit, sapienter ipse facturus, tanquam legibus iussa, non tanquam Deo grata.

Verè stultissimum virum nobis exhibes, inquit Clinias, iam apud me totam famam amisit; ille ne Theocritus qui omnium ore celebratur ut fortis, qui tot præconiorum matreries? ille retulit Leontius; sed quia iubente Firmiano viri effigiem delineavi, nec alij restant colores, quibus expressior fiat teterimi monstri figura, silentium faciam, contentus amplissimæ disputationis campum

ea narratione, prudentioribus & do-  
ctoribus aperuisse.

Isacius ea usus reuerentiâ quæ re-  
centem amicitiam decebat, & in pri-  
mo quoque congressu adhibenda est,  
multa cogitans nihil tamen dicebat,  
expectabatq; donec rogaretur ea lo-  
qui, quæ in rem suggereret multiplex  
eius eruditio, & eloquij facilitas. non  
solidis tantum, sed speciosis quoque  
literis studuerat, multum auersatus  
puluerulentam illam Philosophiam,  
quam ex ruditate & sordibus plures  
æstimant. Quid de fortitudine animi  
sentiret homo eruditus, audire cu-  
piebam, vt ab eo acceptis regulis,  
deinde vnâ quæreremus, an nouis  
fortibus illæ possent aptari.

Leontius eadem animo versabat;  
& primus cùm vrbana illam Isacij  
taciturnitatem laudando aceusasset,  
quasi noxiā cæteris qui ab eo aliqua  
discere summopere optabant; in id

argumentum rogauit sententiam, nec  
difficuter elicuit, sic enim mox ifaciūs.

Fortis, ut opinor, ille existimandus est qui aduersis non frangitur, neque voluptatibus mollescit, rupi similis, quam nec frequens ventorum rabies, nec fremens vnda, è sedibus suis transfert; quicquid enim contra virum fortēm s̄æquiet, frustrato impetu hebescet statim, & victorem suum mirabitur: fortis est, qui cum pari, non cum imbecilliore pugnam init, & quia sibi par, plus quam alteri, quilibet homo, ille in æquissimum certamen descendit, maximānque fortitudinis laudem usurpat, qui se ipsum vincit strenuus hostis, non ad iram ferox, sed ad rationis imperium, pulsatæque virtutis incitamentum: hoc classico ad prælium ex pace vocatus, toties in seipsum armatur, quoties ex passionibus aliqua, ordinem turbat & insurgit in animū. for-

tem dixerō, qui amori non obtēperat, libertatis suæ vindex: qui, vbi trepidant omnes, suprà timorem est; nec vanâ spe fertur in ea, quorum expectatio pendentem animum discruciat omnémque præsentibus bonis gustum adimit futurorum æstimatione, quæ & in incerto iacent, & antequam se exhibeant, plus imagine suâ doloris faceſſunt, quām possessa poſſint dare ſolatij.

Absit igitur, inquio, Isaci, vt fortes existimemus eos, in quibus illa vis animi adeo flacceſſit, vt ad vitiorum imperium ne, quidem reclamans feruiat. conuitio, ſibilis, explodenda eſt iſta fortitudo, cui nihil prorsus reliqueris, ſi nomen detrahas & infamiam.

Cūm audīſ fortes animos, hodie vigere in Gallijs, an non continuò in mentem veniunt Philosophi acres, strenui, ex eorum ſcholâ, in quos

nullum voluptatis fortunæue imperium? certè titulus hic Stoicum sonat, magnum aliquid expecto, dignumque quod suspiciant cæteri mortales, queis tanquam abiectionibus se non exhibuit, conscia dignitatis suæ, grandis hæc & vehemens Philosophia. Ridiculi mures, vt aiunt, montium parturientium fœtus, & tanti nominis germana significatio, malè sana mens obstinata impietas. quis credat fortes illos, notæ imbecillitatis homines esse, & magnâ ex parte, venustulos, cincinnatos, propè mulieres, quibus obstetricem iure dederis, si parituros ex aluo & ex veste constaret?

Sex solum fuisse in Græciâ sapientes verior narrat historia: septimum, Periandrum, non proborum suffragijs, non Apollinis voce, sacro numero adscriptum, illud imperio effecisse, Princeps enim erat, vt sapiens

diceretur, sparsis de virtute sententijs, quas iussa plebs tanquam ab oraculo susciperet. hanc à timidis hominibus contumeliam passa est sapientia, ut tyrannum, qui etiam in liberimas mentes erat violentus, declararent sapientem: non æquiori titulo fortes dicuntur viri isti, qui voluptatibus diffluunt, qui inter fœminarum greges, ad arbitrium insolentissimi sexus rident, suspirant, mirantur, spadonibus euiratiores; nec aliud quo fortitudinis fidem faciant miseri habent; præter illam duritatem mentis, quâ impij sunt in Deum, & hominibus inuisi.

Gloriosè Sicilia Titanes suos iatæ, neque enim quod de illis narratur, falsum omnino est. tulit ea terra Gigantes immensæ proceritatis; hodieque de corporum mole dubitantibus, reliquias immanes monstrat hæc ætas, ut non solâ famâ aut

P  
ru  
se  
ca  
ru  
no  
tu  
vb  
pr  
nu  
cid  
fa  
tie  
ag  
ra  
dir  
me  
cil  
qu  
vn  
pli

Poëtarum

Poëtarum commentis, sed & incolarum fortitudine terribilem olim fuisse insulam, demirās posteritas agnoscat. Gallia nostra longè aliter viorum fortium regio est; ab his enim non illi gloria sed probrum; neque turpius infamari potest terra infelix, vbi tot portenta edita sunt, quam si probet se illa genuisse.

Hæc ego quidem: sed ferè patronum habuit mendax fortitudo, Dulcidium qui ultimus aduenerat, virum facilem & gratiæ obnoxium, quoties eo teste, vel iudice causa reorum agebatur; sicut enim ille ad benigniora propendens.

Paucos inuenias, qui hoc fortitudinis caractere insignes sint, cuius meminit Isacius: & certè multo facilius est describere virum fortem, quam ostendere. rarum opus, nec vñionibus frequentius, quos in amplissimo mari insolenter creat natura,

in quotidianis operibus negligenter, nec ad ambitionem diues. meo tamen iudicio, sufficiet, ô Firmiane, ut quis inter viros fortes recensetur, si ex ratione sit ad aliqua eorum intrepidus, ad quæ non fortia nutant, cadunt, ac vulgaris quæque constanza labefactatur. Et homines isti forsitan, quos pro imbecillis habemus, non adeo molles sunt, vt aliquid in illis non deprehendatur, quod robustæ virtuti decorum sit, & sapienti conueniens. credibile ne est, fortes illos qui velut heroës, thure sibi supplicari desiderant, nihil habere omnino fortitudinis illius, cuius nomen cum tanto supercilio suum fecere?

Interposito silentio morula fuit, quasi ego cæterique aliquid quæreremus in miserorum patrocinium; moxque Isaciüs capitis motu inutilem laborem cōfessus. Quid frustra fortitudinis notas in perditissimis viris inue-

stigamus, inquit, totū quod in illis vi-  
detur, mollities est, & abiectione animi.

Aliquos in aulâ vidistis ex istorum  
fortium nouâ specie ? quid non ti-  
ment , quid non sperant ? certè in  
transtris fœliciorem vitam agunt, ex  
scelere non ex libertate remiges ,  
quàm isti quos spontaneæ seruitu-  
ti addictos , daimnat spes improba  
opum, distentosque vanis cogitatio-  
nibus cruciat ambitio ventosa ; non  
suis tantum malis , verùm & alienâ  
fœlicitate premuntur , quicquid al-  
teri concessum est principis beneuo-  
lentiâ , sibi ablatum existimantes ,  
nunquam sine dolore, quia nunquam  
absque zelotypiâ.

Quid dicam de insanis amoribus ?  
vinci se quotidie fatentur miserrimi  
amatores , nec sibi ad conspectum  
formæ quæ oculis placuerit, satis su-  
peresse virium, vt seipso à seruitute  
eximant, quam gratissimam inducit

oblata pulchritudo. ab vultu, ab oculis, quos depereunt, crudeliter pendentes inter spem desperationemque medios videbis, toties mutata facie, quoties vel arriserit propitia questibus mulier, vel auersa, seueram se præbuerit. si tamen aliquis ex istis, quorum nota est imbecillitas, religionem contemnat, nec ad diuina prorsus moueatur, in hoc enim apud illos summa virtutis, si se perditum velit, ne aliquid ex voluptatibus pereat; si vitiorum, quæ aut prosunt, aut placent, sectator constans est; Deique monentis, aut etiam minantis, audax contemptor, protinus fortis existimatur ab æqualibus suis, dignusque qui inter viros illustres locum habeat, quia nulla ei cum plebe communis opinio, cæterisque altior, quasi supernatans, infra se videt, quodcumque alij supra caput suum mirantur.

Quanta autem sit animi imbecilitas nihil eorum credere quæ fides proponit euidentissimè appareat cui libet proprius inspicienti. Illene fortis animus qui adeo carni mancipatus est, vt nihil credat, nisi quod retulerint sensus, ita falsitati obnoxij, vt videre te sæpiissimè tibi persuadeas, quod omnino non vides, & audire quod non audis? supra sensus ferri, vt ad veritatem, quæ illis altior, accessus fiat, maxima est fortitudo; sed & certè præclarior, si supra rationem ipsam assurgas, vbi illa irrito labore ad confessionem sui adducta, & in ipso conatu deficiens, quid assequi non possis eius viribus, fatetur tibi.

Quis fortior eo qui ad arbitrium suum flectitur, quique se iubet parere Deo iubenti, vt sui ipsius sit etiam aliquo modo lex, &, inuitâ licet naturâ, fidei suæ, post Deum, assertor, ac minister pietatis?

Imbecilli quidem animi est , citò  
credere , & ad fabulas aniles moueri ;  
sed quis fortè audeat dicere eum ,  
qui tot sæculorum testimonijs ; tot  
oraculis Patrum ; tot in fidei reueren-  
tiā , perpetratis mirabilibus , se  
durum præbet ; vnámque stupenti  
mundo , conuersóque per Euange-  
lium , obijcit , quâ solâ potens est  
suspiciosus ad omnia animus , nec  
ideo capax veri , diffidentiam .

O quos fortes habemus ! tales in  
abiectissimo vulgo reperias , qui non  
legum , non famæ reuerentiâ , non  
suppliciorum timore retenti , naturæ  
lasciuientis , aut etiam ferocientis ,  
impetu ita rapiuntur , ut nihil ab adul-  
terio , nihil à cædibus retrahat , si il-  
lorum est potestas . fortes tamen non  
illos dixeris , quia non timent , quia  
quod sceleratè voluerant , id scelera-  
tius effecere , sed ad rationem stupi-  
dos , furentésque , quibus non alia

vis est, quām ea quā domantur ipsi,  
& in perniciem suam valent.

Non fortitudo animi impios facit,  
sed vitæ diffluentis libertas; quæ quid  
expectare à Deo vindice debeat, fi-  
de admonita, monitorem suum ex-  
turbare totis viribus nititur, vt nullo  
obstante sit ad delicias rapidior cur-  
sus, nec anima ad conceptos alterius  
vitæ pauores ferè semper modera-  
tior, patiatur diutius importunam  
pietatem.

Non argumentis adducuntur im-  
pij vt non credant, sed sensibus, quos  
religione fortiores facit tandem stu-  
piditas mentis & parendi consuetu-  
do. dulce est perditis cogitare nul-  
lum post hanc vitam esse tribunal, cu-  
ius timenda seueritas. vidi sœuiente  
tempestate hominem quemdam qui  
acriter oculos claudebat ne fluctuum  
minas intueretur, idem de auribus si-  
ne dubio facturus, vt sibi inter tot

audientes, irati maris fragor obtunderetur, si tam facile spontanea surditas quam cæcitas comparari potuisset. pone, perituram nauim qua vehemus omnes, ille ne minus, quam cæteri, naufragus, qui parcens timori, naufragium suum aspicere noluerat? idem & de impijs istis creditte, non ideo illorum fors melior quia inferos non vident & cum cæcitate sua pereunt.

Iam non paucos inuenies, inquit, Isaci, qui ea arte sibi quamdam securitatis imaginem fecere, & in Theocriti opinionem non obscurè concedentes, animam humanam credunt esse corpoream. hoc inter plurima illorum dogmata præcipuum est audaciæ fundamentum, quâ fortitudinis famam se consequi arbitratur. Deum enim authorem naturæ non omnino abnuunt, ne veluti bruta quædam animalia existimentur mundum hunc

incolere , cuius tanta est in probando  
Deo efficacia , vt vel ipsa Barbararum  
gentium feritas , non sine Religione  
sub speluncis & frondibus , ducat  
ætatem.

Cùm diuini verbi opera sint ea om-  
nia quæ sensu percipimus , æquum  
certè fuit vt verbi istius non obscu-  
ram omnino significationem præfer-  
rent , & innato clamore originem  
suam testantia , ad authorem Deum  
respicere aberrantes mortalium men-  
tes cogerent , à quo quidquid est , va-  
ria licet sit rerum creatarum eloquen-  
tia , scientiam habet vocis.

Solem intueri & Deum ignorare ,  
qui splendidissimæ facis perpetuus  
rector , nusquam interrupta succes-  
sione , die tenebras claudit , tenebris  
diem , impossibile est . lux enim illa ,  
immobilem Deum stupeanti mundo  
circumferens , vbique terrarum late-  
re non sinit supremum numen : do-

Ctisque adeo radijs mentium caliginem absterget , vt Philosophorum velut Apostoli quidam dici non im- merito possint , quibus olim vsl præceptoribus , Socrates , Plato , cæterique sapientes , ea cognouerunt de Deo quæ tūm parcè , & quasi Catechumeno adhuc orbi exhibebantur in præludium Euangelij.

Expedit certè nostræ tempestatis fortibus viris , Deū non omnino negare , ne à Philosophis secernantur , quorum nomen tantopere ardent , vt quicquid stultum mente conceperint , quicquid religiōni iniuriū non dubitent appellare Philosophiam . hoc ergo fatentur , Deum esse ; sed culparum in alterā vitā vindicem non credunt , cùm nec vitam alteram norint , & se brutis simillimos existiment , quibus soluto corpore per-eunt vniuersa.

Absurdum Philosophorum genus.

si animæ humanæ intereunt, audacter dicam, Deus non est; nam si est, cur necessariò, & ex naturâ suâ iustus, nec præmia habet nec supplicia, vt ex auctâ ista vitâ mortali, aut virtutem calamitosam præmiaturus suscipiat, aut ex merito castiget nequitiam fœlicem? ergo sceleratis piisque, post diuersissima opera, sors erit eadem vbi ex hac vitâ excesserint, & Deo omnia cernenti seruisse, non magis proderit religiosis hominibus, quam si cæci cuiusdam numinis administratione regeretur orbis, quod à sacrilegiscultores suos, sive amantes non fecerneret.

Si interit anima, belluis, quibus ad præsentia solum dolor est metusque, homo ipse infœcior, qui præteriorum recordatione conficitur, nec minori cruciamento futuros dolores in suam perniciem citat, tempora ipsa antevertens, ut priusquam

sæuiant quid sæuitura sint, præcoci  
ærumnâ experiatur. Infelix homo  
cui ratio in supplicium data est, nec  
concessum ut impunè supra belluas  
emineret ea parte qua se iactat cæte-  
ris animantibus præferendum!

Immortalitatis animorum præcla-  
rissima certè argumenta quæ à summi  
Dei æquitate, hominisque nobilissi-  
ma natura sumuntur, ait Leontius,  
sed alia quoque sunt, quæ virorum  
fortium ineptissimam de mortalitate  
animæ opinionem confutant, placet  
illa referre; ô Firmiane. iam tuæ par-  
tes sunt, inquit, Isacium manu indi-  
cans, nullus te melius pugnabit in  
insulso sapientes & libenter Leon-  
tius, quæ à me postulat, à te accipiet.

Tum ille; Etiam dormientes testes  
habemus, inquit, qui vigilantibus  
non inutiliter accedent, & præcla-  
rissimæ causæ suffragabuntur, quid  
enim? quod illis qui dormiunt sæpi-

simè contingit , vt feriante totâ illâ sensum cateruâ quæ inuestiganti animo seruire consueuit , sit illis ingenium acutius ? certè somnus quod-dam læthi testamentum est , & animam à corpore omnino secretam , posse existere & operari , ex hoc intel-ligi potest , quòd sapienter etiam co-gitat , vbi somnus præludia mortis agens , effecit vt sibi reddita , nec iam alterius egens , ad summarum rerum contemplationem , sensibus corpo-reis non vtatur .

Accedit illud multò fortius : quòd anima excellentissimū quodque ob-iectum non reformidat , nec Meta-physicis , quorum lux splendidissima est , hebescit , sed perficitur . vehe-menti sole soluitur oculorum acies ; acutissimo sono læditur auris ; & il-lud notum est , cadentis Nili fragori-bus , eos omnes obsurdescere , qui illam terræ partem incolunt , quæ sub

benignissimo fluuio solavapulat, qua-  
si culpæ quoddam genus esset, vidisse  
præcipitem. quomodo igitur sensibi-  
lis anima, quæ fortioribus obiectis  
delectatur, cùm quilibet sensus ob-  
iecto proprio impar sit, nisi illud re-  
missâ vi dulciter feriat, & sua quasi  
iniuriâ soletur imbecillem poten-  
tiā?

Adde & hoc. ætate deficiunt quæ-  
libet sensibilia, quod non accidere  
animæ humanæ oculatissima senum  
prudentia demonstrat, ut scias illam  
substantiam æternitati natam, quæ  
ipfis met adiuuatur, quibus mortalia  
atteruntur, & pereunt; nec tempus,  
cuius longo famulatu ad profundio-  
ra consilia tam salubriter vtitur, vl-  
lum in eam dominium obtainere.

Deinde spiritales quasdam animæ  
dari actiones neque illi negant qui  
eam interitui obnoxiam esse conten-  
dunt, ut cùm intelligit vel diuina, vel

Deum, vel omnino seipsam; ad hoc enim opus suis tantum potentius utitur anima fastidito rerū materialium concursu, ex se fœcunda, & sola tum notitiæ suæ parens. sed quomodo spiritualium actionum sedes erit, atque principium anima, si corporea est, & ex consequenti dissolubilis, cum eiusdem esse naturæ oporteat, subiectum & actus qui in illo, & ab illo sunt, nec fluentibus riuis fons ipse quiaquas ministrat, possit esse deterior!

An non immortalis anima, quæ perituri satiari non potest, cuiusque est ad æternitatem nifus, etiam cum se morituram existimauit? inde ardens illa parentū in liberos charitas, ut breuissimæ vitæ spatium quadam generationis arte, in posteris extendant; inde literarum, inde artium, supra quam quod vitæ corporali necessariae sunt, diligentia: ut ex ope-

rum dignitate in multa sacula vi-  
uant, qui illa effecere, & admixti naſ-  
cituris, vel laudatores habeant, vel  
inuidos. Certè illud immortalitatis  
studium à natura est, quæ cùm fru-  
stra nihil faciat, ipsa siti æternitatis  
ostendit eam posse expleri; & ex ap-  
petitu, ad speim nobilissimam prouo-  
cat, igniculo illo tantam lucem nobis  
præferens, ut nulla anima se morti  
obnoxiam credat, nisi quæ sui omni-  
no immemor, non aduertit cupiditi-  
tatem suam.

Calore non minus quàm ipso splen-  
dore diurno percipitur vicinitas fo-  
lis; & ille, de quo loquimur, natu-  
ralis ardor cunctis insitus, æque ac  
rationis ipsius claritas, immortalita-  
tem commendat; nec deterius profe-  
ctò argumentum quod à voluntate,  
quàm quod ab intellectu sumitur,  
cùm vtraque potestas, naturâduce,  
aut ad verum cuius pulchritudine tra-  
hitur

hitur viam quærat, aut ad ipsam æternitatem.

Sed frustra de istis prolixior sermo haberetur apud homines Christianos, & strictè ea attigisse sufficit, vbi nemo de immortalitate sua dubitat; neque ea recensuisset, nisi me loqui, eruditioris viri imperium coegisset.

Quibus machinis dirui possit nouorum fortium de mortalitate animæ sententia, egregiè nos docuisti Isaci, ait Leontius, sed placet audire quæ certissima accepi ab amico? ignota vobis loquar. Etiam impiæ fortitudinis, cuius mentionem fecimus, schola fuit. urbem quæritis? ea est cui nomen seu à luto, seu à luce rectissimè impositum: nihil enim illâ præclarius, si fortunarum, si munerum, si ædificiorum dignitatem spectes: nihil, si vias ipsas, lutulentius. an per successores stet adhuc domus illa ybi

T

ex condicō perditī homines conueniebant, ad sui doctoris percipiēdam sapientiam, mihi incertum; sed de ijs quæ acta sunt, erumpente illâ impietate, nec seadhuc luci committere ausâ, licet obscurè acta sint, referentis probitas dubitare non sinit.

Aues quædam sunt quibus lumen inimicum, & cum cæteris, quæ sole gaudent, nulla societas; illis quoque ex colore & cantu cum tenebris affinitas aliqua, ceu consensio; vt non mirum sit eas interdiu latebrosis tegi, & ad lumen pauere. qui primi impietatis magistri in Gallia extiterunt, bubonum instar, nocte tantum congregabantur, sibi ex conscientia metuentes, & ea calliditate dispensantes impietatem suam, vt se nefaria docuisse, negare omnino possent, si vocarentur ad tribunal. Soli qui conscientij essent, intererant nocturnis conuentibus; quia tamen necessarij ty-

rones, ne cito periret recens malum; cautè delecti inter nouitatum amatores, sub his conditionibus admittebantur, vt secretares esset, neque differentem magistrum priùs viderent, quām eius argumentis conuicti, faterentur verum esse quod ab eo audiuissernt. Expectata ideo nox, vt vir ille à quo totam fabulam accepi, non vulgaris sapientiæ oracula mirabundus exciperet.

Ethæc loci dispositio erat; in amplissimo cubiculo exilis lucerna noctem ita amouebat, vt non tota abscederet; lunam esse putates, orbe imperfecto, vix inter densissimas nubes pallida cornua proferentem, nec viatoribus ita consulentem malignâ luce, vt securè possent iter carpere. In cubiculo adesse non paucos plus ex vestigijs se prementibus, quām ex aspectu aut vario vocum tenore, tremens tyro agnouit. In loci ambitu

T ij

cathedræ plures , inter quas vna remotior , tacentes exceperunt ; ipse qui nouus accedebat , amico monstrante , in vna sellarum acquieuit ; mox ille qui locuturus fecesserat , ubi nulla exigui luminis posset timeri proditio , de Deo & prouidentia ita differere cœpit , vt non sine pietatis sensu audiretur ab eo , quem cæteri mox suum fore , præmaturo gaudio existimabant . Media pars horæ in ijs quæ de Deo , de animarum immortalitate , de iudicio futuro credimus , ferè consumpta est ; nec argumentis quibus religio firmaretur , deerat illa quæ affectus mouet orationis vehementia , vt nihil eorum , quæ pietatem quoquo modo mentibus humaniis infundunt , sincerus homo , causam ipsius agens , de industria omisisse videretur .

Post hæc admirationi datus est locus , dictumque submurmurantibus

suffragijs ; quicquid veteres Patres ,  
quicquid omnis Theologorum cho-  
rus in hoc argumentum solidioris  
doctrinæ adducerent , illo sermone  
comprehendi. redditio silentio , vox  
eadem audita est. majora se veriora-  
que habere professa quæ de Religio-  
ne diceret ; à commiseratione impius  
sermo incæpit. Pessimum seruitutis  
genus illud esse quo animus humanus  
cogebatur incredibilia credere , &  
quæ sentienda essent de Deo , ita ac-  
cipere à majoribus , vt nefas esset sim-  
plicissimæ ætatis pietatem , vel leui-  
ter , nimiæ credulitatis insimulare.  
Ita quemlibet hominem nasci , vt ius  
ad rationem habeat , nec fidei leges  
iustè nobis imponi ab ijs , qui ideo  
solum sapientiores existimantur , quia  
priores nati sunt.

Plura dixit in gratiam libertatis; ad-  
didítque politicam potestatem , quæ  
cohendis sceleribus iustissimè sæ-

T iii

uit , nimis indulgere opinioni , cùm  
liberæ mentis homines , & fortiori sa-  
pientia imbutos , eadem loqui impe-  
rat , quæ plebs pro certissimis tenet ,  
ob id solum quia tradita sunt , & au-  
dire consuevit .

Inde ad argumenta illa ventum  
est , quibus oppugnatam Religio-  
nem aduersus impios tuemur ; quæ vt  
dissolueret callidus homo , primùm  
ratiunculis vñs , quarum tota vis in  
gratia verborum & eloquentiæ ima-  
gine , sensim venit ad illas argutias ,  
quibus olim Christiana Religio apud  
dicaces infideles scurriliter traduce-  
batur . Nihil nobis reuerendum , ni-  
hil sanctum , quòd non luderet ur-  
banus Euangelij obtrectator , impie-  
tatem ideo salibus condens , vt vene-  
num , cuius horror esse posset si so-  
lum , voluptatis societate ad gustum  
accedens , sumeretur fidentius . Sic  
exhilaratis animis ita postea disseruit

de Christo, vt ipse Julianus Apostata desertionis suæ crimen diluens, & Lucianus in Deum facetijs atrox, impietate vincerentur. interea, per vi-ces, auditorum risu incitabatur sce-nica viri eloquentia, laudem ex sa-crilegio captans, & quām placeret ca-chinnatione admonita, semper in progressu impudentior.

Finito sermone, qui propiores no-uitio homini fuerant, blandè petie-runt, quid sibi de doctrina ista vide-retur; sed anxiè, nec ad expectatio-nem satis respondebat, integræ adhuc conscientiæ minis prohibitus, ne tan-tæ impietati suffragaretur. Laudauit tamen viri in dicendo copiam, seque dixit amico multum debere, qui viam sibi præijsset ad honestissimorum vi-rorum congressum, & stupendæ eru-ditionis arcana. Non placuit perple-xa laudatio, verbis ea arte dispensa-tis, vt nescires eam ne doctrinam,

T iiij

monstrum diceret , an miraculum.  
frigidius ergo noctiuagi abierunt  
quam venerant , nec magistri facta  
est Epiphania , qui non nisi creden-  
tibus suum vultum exhibere solitus  
erat , vt & apud illum , visio esset fidei  
merces.

Hæc mihi ab eo relata sunt , qui  
nocturnæ concioni interfuit , ita fœ-  
liciter mixtus nequissimis viris , vt  
deinceps religiosior esset , impietatis  
enim atrocitate commotus , & ex pe-  
riculo prudentissimus effectus , ne no-  
men quidem virorum fortium , sine  
stomacho audiebat.

Illos cognouisse , doctrinam eorum  
refutasse est ; inquit Clinias , quā enim  
lucem speres à vespertilionibus istis ,  
qui testem impietatum suarum solem  
metuunt , nec igni fiderent etiam in  
commodum suum extenuato , nisi  
posset extingui . Vtinam , ait Isacius ,  
eo adhuc timore comprimeretur im-

pietas ! quām faciles apud nos iudiceshabeat pluries experta, iam didicit ipsas contemnere leges , & , quōd magis mirere , diem. Nuper vir religiosus, nomine Nicon , vnum ex istis obuium habuit in itinere , qui ex ueste Deo sacrum agnoscens , admotis equo calcaribus ut velociori cursu ad eum pergeret , mox ut potuit audiri ; Etheus tu , religiose , inquit , mene nosti ? cūm ille negasset ; Ego , retulit homo , Arrebatius vocor , éa vi mentis famosus quam vos impietatem appellatis ; & vos miseri , qui futuram vitam expectantes , præsentem damnatis , & à Deo , qui nusquam est , mercedem laborum præstolamini . his dicitis vir insanus versis habenis eodem quo venerat cursu , viæ , à qua decesserat , redditus est , vbi puer , qui illi erat à pedibus , non sine risu dominum operiebatur , sciens nihil nisi fatuum effari potuisse .

Et hi Philosophi dicuntur: absit  
ut Philosophia illos pro suis agnosc-  
cat, quorum mores cænosí penè ex-  
tinxere rationem, quorum schola  
diffluentis Epicuri fex est, & lenoci-  
nantis voluptatis prostibulum in-  
fame.

Noua certè mihi, ait Clinias, om-  
nia hæc sunt, quæ de fortibus viris  
singuli dixistis, ordinationi modo  
quàm qui extra scholam inter collo-  
quentes amicos seruari consuevit.  
Leontius enim illorum dogmata pro-  
posuit in Theocrito; deinde an verè  
fortes sint qui talia profitentur dis-  
putatum est, excussumque falsissi-  
mum nomen, quo sordidos mores  
mollissimi viri contegunt. Argumen-  
tis postea, duce Firmiano, Isacius in-  
eptissimam sectam inseguutus est,  
redditáque rationum vi, animæ hu-  
manæ immortalitas, quàm ideo per-  
diti homines negant, quia timent.

Pulcherrimè conclusit omnia Leontius , eâ narratione quæ impietatis cunas detexit , ostenditque quàm timide nascens proponeret , quòd iam adulta profiteri non metuit.

Sed aliquid restat , ô Firmiane , quod à te audire exopto . Iamdiu est enim quod siles ; An existimas eos omnes qui fortium virorum nomine comprehenduntur , illius impietatis reos esse , quæ Euangeliū abijcit , & pro fabulis habet , quicquid Deo reuelante nouimus ? Sapienter quæris , in quo . hic qui ab igne superiori , ad nos usque interiacet aér , vnum quidem corpus est , sed diuersissimæ regiones sunt quibus distinguitur : in supremâ enim feruidus aér , ad terrem nutrit cometas , ostenditq; mortalibus : in mediâ turbulentus , & fulminum non tantum via , sed sedes est ; nisi mauis locum appellare simplicius ; quomodo enim fulmen se-

det, quòd si quiescat, iam non est fulmen, caret enim illo ardore, & motu, sine quo nec concipitur?

Infima regio mitioribus flammis infesta est; qui enim in ea ignes aliquando videntur, nullius calamitatis prænuntij sunt; ardore item carrent languidi, hebetes, Et si fulgeant, nec suâ etiam luce noxij essent improuidis viatoribus, nisi in eos homines incideréti quibus infirmior mens, & pauere facilis ad insolitum spectaculum.

Vides Clinia, ut diuersas omnino regiones vnum corpus obtineat, sitque pro locorum varietate ardentius, & turbidius. Non absimilis nouorum fortium secta, distinctos quasi tractus habet; omnes namque qui ab ea nominantur non æquali impietate scelesti sunt. quicquid Patrum religio credendum proponit, aliqui ex illis merum commentum existimant,

cā caligine obtenebrati , vt Christum  
impudentissimè negent , quem in ip-  
sa cruce morientem , sole refugo ,  
concussa terra , dissilientibus monu-  
mentis , totus orbis agnouit . & de istis  
egimus .

Alios videbis qui Religionem qui-  
dem admittunt , verū non totam :  
vt amotis , quæ minus placent , parti-  
bus , appareat quām sapienter Chri-  
stiani sint , qui , vt aiunt , non cæco  
quodam impetu id omne amplectun-  
tur , quòd timida plebs , vt legem cer-  
tissimam mentis , nullâ præuiâ dis-  
quisitione suscipit , ingens piaculum  
putans feligere quod credas . Isti ta-  
men quia non ad Caluini , aut Lu-  
theri mentem , sed ad suam , insan-  
niunt , fœlicius nomen sortiti , viri  
fortes etiam appellantur , cùm non  
minus hæretici sint quām illi , quos  
iamdiu patimur Ecclesiæ Catholicæ  
hostes , & qui professo odio famosi ,

sub ducibus suis certant. Nihil enim interest utrum legionarius, an vagus miles patriæ infestus sit, ut pro hoste habeatur. quisquis desertor, ciui bus suis, & publicæ securitati nocet, etiamsi in nullius certæ factionis partes transeat, bellum regno indixit. & ut quis hæreticus fiat, & in uno nomine dignus, præceptor erroris non requiritur, quem olim damnauerit Ecclesia, cum ad illud sufficiat motu proprio, & domesticâ quadam sententiâ aliquid de integritate fidei detraxisse, quæ nisi tota non manet.

Quid stultius quam per partes Religionem admittere, quæ si in aliquibus iure insincera existimatur, in cæteris quoque verior nullo modo putanda est, nec periuri alias testis in quacumque causa recipienda autho ritas!

Virginitati Religionem simillimam dixerim. Illa enim virtus nun-

quām partim corrumpitur , & partim seruatur , toto dedecore ruit , aut toto honore inuicta floret : eadem prorsus Religionis conditio , deprauari nisi omnino non potest . quid ergo , vir fortis , mediam quamdam in Catholicā Ecclesiā puritatem imaginatus , media etiam fide , aliquid probas , aliquid respuis , quasi tibi mendacio inserta veritas ab orthodoxis proponeretur ?

An non Alchymia in euptus & infelix labor , qui argentum purgatus , id tantum efficit solertiā suā , vt vel edacibus aquis liquefacat , vel ignis ardore ita soluatur , vtiam non recte metallum appellaueris , sed aut pretiosam lympham , inutilem licet ad necessarios tuā fortunā usus : aut diuitem fumum , qui multā expectationis materies , tandem per varios orbes , in se ipsum sāpē reuolutus , & motu inani vltimas fruistratā spe de-

licias agens , deluso possessore eu-  
nescit?

Virorum fortium , qui Religio-  
nem se emendare existimant dum  
funditus delent , operosior non est  
sapientia diuinus enim ille radius , cu-  
ius beneficio intellectus noster ea cer-  
tissimè credit , quæ nec sensibus , nec  
ipsâ ratione argumentum sui faciunt ,  
ille inquam radius , vnum est , & ideo  
à Theologis , licet varia , & lente  
etiam seruato quodam temporum  
ordine prodeuntia , nobis exponat ,  
non multiplex vocatur sed vnica re-  
uelatio . cùm igitur vnâ prorsus luce  
omnia nobis innotescant , quæ cre-  
dentes ab infidelibus secernunt , si il-  
lam in uno doctrinæ cœlestis articulo  
non admittas , eadem animi pertina-  
ciâ in cæteris excludes ; nec alia , tan-  
to lumine extinto , tibi iam fides su-  
pererit , quam humana quædam de  
mysterijs , quorum reuerentior fuisti ,  
existimatio ,

existimatio, & amissæ Religionis inane vestigium.

In eo statu planè desinit homo esse Christianus, cùm integrum fidem partium rescissione, incogitans licet, abnuat. Et quia Baptismi æternō carachtere insignitus, vbiq[ue] circumfert prioris instituti notas; similis est omnino vrbibus illis, ita D'ominos ex fortunæ ludo alternantibus, vt constantissimâ nomenclaturâ, quem priùs sub alio hero obtinuere, titulum seruent.

Nequaquam animi, sed morbi vis, ea est quæ Religionem penitus absunit, & cùm ingens sustulerit bonum, tantâ insaniâ miserrimi hominis cerebrum versat, vt ipse qui desertor Euangeli infidelium turmis accessit, perfidiam suam ignoret. Quis adeo hæbes, vt illustrari suam domum opinetur, eodem quo perit incendio, & inimicum lumen præ-

ferat dulcissimæ nocti , cuius secura  
cæcitas?

Fortes isti qui se ceteris splendidiores existimant , stultissimum Calanum , qui se iudice flammis dignus , se quoque carnifice coram Alexandro. crematus est , videntur imitari , sua enim luce pereunt. fœlix ille , & inter sapientes iustissimè reponendus , cui sufficit ea quæ toti Ecclesiæ conceditur à Deo claritas , cur enim vni non satis sit , quòd cunctis satis?

Alij quidam sub nomine virorum fortium, integrâ Religione se illa omnia credere profitentur quæ Catholici. sed in vno non obscurè insaniunt; firmitatem enim mentis autumant non pauere ad cœlestes minas , & hanc addunt nequissimis voluptatibus audaciam, vt iratum Numen, non tantum videantur contemnere , sed prouocare. Isti multùm absunt à verâ sapientiâ , cùm illius sit (Dauide

teste) principium , timor , neque minus à laudabili fortitudine , quæ nusquam pericula subit , nisi per illa sit necessarium iter ad gloriam , quæ his emi mereatur .

Mortem non timere , cæteraque quibus miseri mortales infestantur vitæ incommoda , laudabile est ; vbi enim metus nihil proficit , in honeste admittitur , & ad ineuitabile malum firmandus est animus , vt si feriri necesse sit , saltem intrepidè ab immoto , grauique fato , vulnus excipias : sed æternæ damnationi cùm utilissimè occurrat timor ille Religiosus , quicumque aduersus diuinæ comminationes mentem obfirmat , fatuus est ; & fortitudinis nomen ineptissimè usurpat , audacia illa animi quæ offendit Deo , & etiam ad obsequium iustissimæ vindictæ supplicijs prope- rantibus , nihil vereris , neque aliud , quam quod turpisima voluptas in-

V ij

susurrauerit, consilium accepturam,  
impiè iurat.

Quanquam ego existimem scele-  
ratam impudentiam fingi potius ab  
ijs qui Euangelium admittunt, quam  
aliquâ deceptâ mentis insaniâ con-  
cipi; vt scilicet, palam contemptis  
quæ obscœnæ vitæ parantur sempit-  
ternis ignibus, ad breuiora pericula,  
variâsque aduersæ fortunæ iniurias,  
inconcussi habeantur, & quietis non  
precariæ constantissimi possessores.  
intrepidos tamen non esse, quælibet  
obuiia calamitas adeo ostendit, vt ne-  
mo dubitet fortitudinem illam, quâ  
se immobiles iactitant, frontis esse  
non animi.

Hic Leontius, qui virorum for-  
tium acta ex conuersatione nouerat,  
postulauit se audiri, habere se profes-  
sus non iniucundam narrationem,  
quâ serios sermones intermixta festi-  
uitate condiret. Nec displicuit, scien-

tibus quidquid ille proferret ad sapientiam pertinere. Sic igitur, cæteris sereniori vultu iam in eum intuentibus. Non cōmentum, inquit, exponam vobis, sed nostræ ætatis lepidissimam historiam.

Cromatius quidam fuit in notissimâ vrbe, vir non vltimæ nobilitatis; hic ex Senecâ omnibus instructus sententijs, quibus fortis videri posset, stoicum etiam vultum induerat, ut seuerum omnino crederes, nisi cum demptâ personâ, inter paucos, talem se secretus exhibebat, qualem natura finxerat, mobilem, &, supra quam credibile est, effœminatum. Inter fortissimum censematur præci-  
puus, nec obscurè ferebatur illum ad acerbissimos casus eo semper vultu fuisse, quo cæteri omnes ad conspectum fortunæ placidioris; eorumque omnium, quorum est expectatio, aut cupiditas ad mortem, vt aje-

bant , amicorum humanus quidem ,  
sed miserabilis nunquam , nec dignus  
qui & ipse ploraretur ; ad bonorum  
iācturam , pœnè lætior quam tristior ,  
& fornicum instar , quos saxa inui-  
cem prementia , & incumbentium  
corporum moles in statu suo conti-  
nent , ex pondere firmissimus . Cæte-  
rum nullus ad diuina sensus Christia-  
num arguebat , & hoc præcipue in  
laudibus apud suos , quod Religio-  
nem facillimam sibi libertate mentis  
effecerat , quod conscientiam suis mor-  
ibus amicā , nec cum illâ luctaretur .

Vir ille duos omnino habebat fi-  
lios , vnum quem sublata è viuis vxor  
triennem reliquerat , alterum , qui vi-  
ginti annos natus iam Principi debe-  
batur & regno , filia illi vnica quæ .

Iam matura viro , iam plenis nu-  
bilis annis . accedit , vt ad arma natus  
iuuenis , in necessario bello postula-  
retur à Principe , ipso etiam adoles-

cente domum paternam exoso , vbi  
nihil ætati suæ consonum , nullusque  
quem ad iuuentutis solatium adhibe-  
re misero liceret , præter Senecam &  
Patrem . vt filius dimitteretur bellum  
vrgebat , imperium Regis , honor ip-  
se , cuius pars maxima , vbi pericula  
adeunda sunt , celeritas .

Hic acerbè flere inter domesticos  
vir fortis , querique se supra cæteros  
mortales infœlicissimum , qui charis-  
fimo filio viuum funus ornare iubere-  
tur ; totus enim belli apparatus , arma ,  
sagula , tubæ , sarcinarum ad militares  
vñsus collectio , signa , splendor eque-  
stris , doloris ampla materies mœstissi-  
mo patri , ante vulnera , ipsamque di-  
micationem efferenti filium suum .

Totos viginti dies lugens pater ,  
Regem , fortunam , Deum deuouit ,  
quod se derelictum vellent , nec vnâ  
domus orbitate placarentur . interim  
si quis ex vicina nobilitate Croma-

tium visurus accessisset, vir fortis sui  
Senecæ non etiam tunc immemor,  
admotâ gelidâ temperabat, ne quod  
signum doloris appareret, tumorem  
oculorum; & ad constantiæ speci-  
men grandia verba, ex semotâ præ  
dolore Philosophiâ iterum sumebat,  
vix ipse aduertens ridiculam se co-  
mœdiā exhibere spectatibus. Quid  
plura? discedenti filio tanquam non  
redituro, vltima oscula posuit miser-  
rimus Pater, & longo mœrore profe-  
quutus abeuntem, testes etiā, quo-  
quot erant in conclavi, esse voluit se  
à cæde filij immunem, scinuitum pri-  
uari charissimis amplexibus; sanctissi-  
mique iurauit, non ideo se liberos  
suscepisse, vt bellis iminolaret. Post  
hæc alta solitudo, vt lacrymis totum  
se permitteret licentiū; ipsique, in-  
quirenti mihi, vt potè amico, cur per  
totum mensēm publico abstinuisset,  
minime negauit, se filij exequias men-

struo dolore perfecisse, neque enim minus deberi acerbissimæ morti ; quam certissimam existimaret. hoc solum restabat desperato , vt lugubria indueret , sed admissus , non ostensus dolor , faciebat hominis Philosophiam.

Filia ineptum patrem æque experta est : nubilem enim à se auelli vix tulit in matrimonium petitam à multis , quia solatio dilectæ sibi virginis carere non poterat , eamque sine viro vetulam asseruare domi constituerat , crudelis ideo Pater , quia mollis , nec amori modum imponens.

Ecce vobis imaginem fortissimi viri , nec dubito plures esse ex ijs quos strenuos esse aiunt , & ad omnia inuitatos , qui non minus effeminate peccant. quam multi sunt , quos occultus sub fortitudinis laruâ dolor conficit , atrox inuidia , timor ingens , & ob hoc violentior quia collectus , nec

sinitur ab animo in ipsum corpus se effundere , vt in latiori minus noceat ! fortitudo apud plurimos virtus est non ad soliditatem animi , sed ad famam , & ad spectaculum seruiens ; coloribus illis similis , quos in iride pulcherrimos ostentat natura , apparent enim nec sunt , & extra illos numerantur qui veri in purpurâ , in herbis , & in floribus nitent.

Ita Leontius , ad quem ego , dissertationi finem facturus . Satis de impiâ fortitudine , satis , Leonti , quam parentes nostri fœliciter ignorauere , & quam nos non sine magnâ animi mœstitiâ iure recensemus , inter huius æui notissimas calamitates . Sed cur majoribus inuidemus ? infœlicitatis hic ordo est , ô Amici , vt quælibet ætas proprijs malis laboret , & veluti quædam Nili stagnantis , & semina peruersè miscentis , exundatio , suis monstris signetur .



# V E R I T A S T O G A T A .

*SEPTIMA DISSERTATIO.*

**D**INTER eas artes quæ ad ocularum voluptatem inuentæ sunt , illa summopere mihi semper placuit , quæ corpora humana , licet sine anima & sensu , educit ex lapide ; & superflua materiæ , eâ prudentiâ refecat , vt quæ compонendo operi partes relictæ sunt , ad naturæ inuidiam , quòd illa verius , simpliciusque formauit , gratissimâ fraude adumbrent.

Artis amor viam sternit ad artificem ; & videndæ manus , cuius industria placuit , sæpè fit desiderium. Eo

animo, ad Sarrazinij, sculptoris no-  
stra ætate eximij, domum quadam  
die me contuli; & ne solus innocen-  
ti voluptate fruerer, Cyprianum mi-  
hi socium adhibui, eiusmodi artis ad-  
miratorem egregium, cum ritè pro-  
cedit, cum vero aberrat à præceptis,  
seuerissimum castigatorem.

Variæ in illa domo statuæ erant,  
authore suo dignæ; & quæ Dædali  
etiam possent videri, nisi quod vinclæ  
non erant, nec fuga timebatur. Sed  
cur veritatem togatam ingeniosissi-  
mus sculptor fecisset in marmore,  
cum satis non intelligerem, illum ro-  
gavi ut me consilij fui vellet esse par-  
ticipem. tum ille, ostensâ Christi in  
cruce pendentis imagine; Si verita-  
tem, inquit, amas sine vestibus, ecce  
tibi nuda veritas; in hoc opacissimo  
sæculo vix eam sine amictu extra cru-  
cem inuenies. hoc ab artifice, fa-  
teor, non expectabam; quid enim

subtilius à Theologo ? nam certè veritas Christus est, & dum Iudaïca perfidia Domino patienti detrahit vestes, sceleratâ manu , nec generi tamen nostro inofficiosa , veritatem nudauit.

Suauissimum hominem inuenisse me gaudens , postquam argutæ sententiæ applausi , ad illud denuo signum versus in quo veritas sub virginis repugnantis specie, pallâ operiebatur ; non enim sponte vestiri apparebat, sed ab aliâ ex eodem saxe , figurâ , ad hos cogi ornatus ; petiui à sculptore , an in sexus reuerentiam , nouitatem hanc sine Poëtarum licentiâ , induxisset : turpe enim est mulierem statuam, absque modestiâ conspicere , & apud castos , inuercundæ imagini iure præfertur, etiam rudiari manu incisum , pudicum marmor.

Idem ferè quod ego Cyprianus : Cùm hoc signum fingeres , inquit .

tene Christianum meministi , vir  
egregie ? Et ideo timor inuasit ani-  
mum , ne adolescentum facilis amor ,  
ad conspectum saxeæ formæ exar-  
desceret , si non tunicata sed nudata  
cerneretur ? an te potius cogitasti ve-  
luti parétem figuræ istius ? opus enim  
tuum illa est , & filiæ vestes commo-  
dauisti , optimus Pater , ne illam vi-  
dereris lenonio more , quibuslibet of-  
ficinam tuam intrantibus , inhonestè  
prostituere .

Ad hæc sculptor ingeniosus . Non  
ea artis nostræ castimonia est , vt stu-  
deamus illas corporis partes abscondere , quæ , licet religiosius tegeren-  
tur , ostensæ tamen majorem in arti-  
fice peritiam arguunt . præcipuum  
apud nos studium est , ea speculari ,  
quæ medici alio fine curiosissimè ob-  
seruant . Illi enim hominis constitu-  
tionē diligenter peruestigare consue-  
runt , ne in incognito corpore erret

medicina , si illud ægrotare , aut lædi contigerit. Nos vero idem obiectum non minori curâ intuemur , vt naturâ duce dirigatur ars nostra ; & quia in patiètissimâ materiâ homines formare , honestâ libidine audet , generationis quasdam regulas , ac præscripta , à doctiori percipiat.

Artis nostræ summus labor , summa laus , nudum exhibere humanum corpus , quod tantâ charitate , tanto vestium ambitu obuelat , imperitorum sculptorum coacta ad pudicitiam ignorantia . si studium illud tuo iudicio crimen est , artem tolle , quæ cæteras obseruationes adeo parui ducit , & infra se habet , vt prorsus negligat , si istam prohibeas. Non ergo Religione ductus puellam vestiui ; cur enim sola inter tot nudatas imagines stolam haberet , & Dianâ illâ quam videtis , esset castior , quæ à me , licet aduentantis Aætæonis aspectum

horreat, vestimentum non obtinuit?

Meliori æuo, veritas nuda conspiciebatur, & eam velo obducere, pretioso licet, ac eloquentiæ manibus contexto, nefas erat: nunc verò ita contegitur, ut nulla sub polis mulier, ad frigus arcendum, densiori veste vtatur. summa iam illius audacia est, aliquam sui partem ostendere; & si aliquando pristinæ libertatis memor, & tam alto vestitu condit non ferens, vultum exerit; statim adsunt qui moneant, virginem non benè virorum aspectibus patere; & cautius decentiusque facturam, si contremiscat, fileat, querat tenebras, quām si impauida hominum cætibus intersit, & ea intrepidè dicat, quæ raro beneuolos auditores inueniunt.

Hoc ergo cùm obseruauissem signum istud confeci, ut ex illo spectatores agnoscerent veritatem olim apertam,

apertam , ita hodie abscondi , vt vix aliqua pars eius , absque inuolucro & sincerè appareat. quia autem nouissimi temporis opus est , ea veritatis latebra ; Saturnum cum suis insignijs , non seuerum , & annosum , qualis apud Poëtas singitur , sed iuuenem feci , qui reluctantem puellam , iratamque ad noui officij ingratum munus , ipse ridens , insueto amictu circumuestit. Non ego igitur , vt ajebas , veritatem operui , quæ nuda apparere gestit , sed curiosus æui obseruator , ostendi in marmore quid circa illam egerit sæculum præsens.

Probatâ sculptoris industriâ , non licentiâ artis , quæ pudoris iacturâ , studiisque audacioribus naturâ equare contendit , laudatîsque cæteris operibus , quæ non minori artificio , sub varijs formis , admirationem fecerant , ab officinâ digredimur . domum deinde reuersis , placuit in scul-

ptoris mentem diligentius quærere,  
rectane essent quæ de veritate dixerat. Cyprianus diu in aula exteri Principis versatus, ultrò fassus est, se nunquam in eâ veritatem nisi palliatam vidisse; neque mirum, ajebat; qui cum enim tumultuosæ huic vita se suamque quietem committit, fortunæ amore id facit, cui cum sœpe inimica sit ex occasione veritas, tuius assentationis viâ, ad honores & diuitias itur, quam simplicitate morum, orisque libertate. Gemmarum veluti piscatum, in hoc aulæ fluctuantis oceano, dulcissima quædam spes auaris mentibus proponit, in periculorum præmium; nec alias nauies inter infidos scopulos, ventorumque immanes rixas ferri videbis, quam quæ in aquis placidioribus inutili labore diuitias prosequuntæ sunt, aut virium fiduciâ actæ, neglexere amnes ubi minus quæ-

stuosa, verùm multò securior nauigatio.

Cùm itaque id sibi omnes, qui in aulâ viuunt proponant, necesse est eos, vt optatis fruantur, viris principibus placere, quorum opulenta, & non raro etiam prodiga charitas ad illam fœlicitatem gradum facit. vt autem placeant, vtilis silentij ars quædam summo studio addiscenda est, omni oratione & verborum ornatu efficacior. Non enim Turca solus mancipijs mutis vtitur ad quædam suæ potestatis obsequia; vbiique terrarum illud receptum est, vt nemo nisi elinguis, viris principibus adsit, vbi de regiminis seu sœutiâ, seu molitie, promendus est animi sensus, dandumque in Reipublicæ laborantis mala, consilium.

Calamitosa planè atque destituta veritas! Etenim pauperum more, nullum in loquacissimâ turbâ Patronum

inuenit qui causam oret : velut maje-  
statis ream , omnes negant , timent ,  
fugiunt , ne amicitiae suspicione &  
ipſi rei , trahantur in communionem  
calamitatis , & plerumque illam nos-  
ſe , ſileas licet , ſi non ſcelus , at cul-  
pa eſt .

Principibus non minus inuisum  
veritatis iubar , quām cometæ lumen ;  
ad vtrumque enim pauent , nec bene  
quiescunt donec omnino desierit .  
hoc pénitus nouere , qui ad Regum  
ſtudia facti , quoties de noxiā silentij  
ſide , tanquam proditores potestatis  
à plebe accusantur , nihil aliud re-  
ſpondere ſolent , quām non teneri  
ſe in perniciem ſuam loqui ; verita-  
tem in aulā damnatam ; legem Cor-  
neliam reuocatam hoc ſeculo eſſe ,  
quæ proscriptum iuuare vetat , & in  
ipsa humanitatis officia , ſi misero  
conferantur , ſæuit veritatem deni-  
que , quam post tot tenebras lucere

ij omnes optant, qui premuntur, re-  
gnantibus non videri amicum sydus.  
quis neget quod tam ingenuè faten-  
tur? ideo illam tot nubium densitate  
obtenebrat, aulicorum sagax adulatio,  
nec aliam lucem regios oculos  
videre sinit, quām quæ oculos de-  
mulcet, & tristes euentus, labantis  
scilicet imperij fata, negotiorumque  
turbines non prænuntiat.

Sic dicente Cypriano, Cletus ado-  
lescens, illius ex sorore nepos, qui  
nostro colloquio superuenerat, vel-  
le se in id argumentum aliquid pro-  
ponere, modestè ostendebat: quòd  
vbi aduertit Cyprianus locum fecit  
quæstioni. Mox Cletus: Audiui in-  
quit, ijs qui ad imperium nati sunt,  
ferè semper dari à naturâ non vulgare  
ingenium: quomodo igitur, pul-  
cherrimæ veritatis formâ lœduntur,  
& ad conspectum illius, quasi altera  
quædam Medusa esset, attoniti pri-

mùm hætent , mox duri & intracta-  
biles , monitoribus suis lapidescunt?  
Tum Cyprianus . Putas , ô Clete , quic-  
quid pulchrum est necessariò amari?  
non ea est , crede mihi , rerum for-  
mosarum fœlicitas . Quid sole isto  
speciosius? & tamen illum , quem om-  
nes adeo libenter flores admittunt ,  
& , vt licet , vario etiam motu sequun-  
tur , nunc erecti , nunc in terram ad-  
ductis folijs cadentes , plurimorum  
animalium debilis acies reformidat;  
nec aliâ ex causâ tenebricosæ con-  
scientiæ pœna est ipse Deus , quâm  
quia lux , & radijs suis ea ostendit ,  
quæ videre non tantum dolor animi  
est , sed etiam metus ac pudor .

Vt pulchra amentur , priùs debent  
ab amante cum omni dignitate suâ  
concipi ; idæa enim est causa amoris ,  
& nisi illa arrideat , forma ipsa , cuius  
imago censetur , non placet . Petis qui  
fit , ô Clete , vt formosissima veritas ,

Principibus sit odiosa? picturam illius in mente habent, non ad exemplaris fidem delineatam, sed corruptam, & qualem ex aulæ assentatricis Genio sibi fecerunt; quid ergo mirum, si ex tristissimâ imagine eam æstimantes, respuant, vbi cumque illa se obtulerit, potestatis errores vitissimè, & modestissimè increpatura?

Veritas certè cùm arguit, pungit, nec nisi patientibus prodest. quis Principum quæso, inter tot adulatores suo quotidie lateri adhærentes, ita ad patientiam est eruditus, ut mendacis manum ferre queat, si duram senserit? ad salutaria vulnera abit à mansuetudine majestas, & pro miraculo habetur quoties ad rigidum obsequium pacatos sinit esse Reges, voluptarij regiminis & quodlibet audiendi, absque ullo censore, consuetudo.

Deinde, timeri à suis magnificum

X iiiij

est, sicut amari ab illis dulcissimum.  
hinc illud, quod cum molesta veritas  
exponi principibus viris sine quadam  
animi audaciâ non possit, dignitatis  
iniuria censetur aliquid ex eo timore  
deponere quem cæteri habent, pu-  
tanturque ij omnes, qui non postu-  
latum consilium vltro dedere, cha-  
ritatis pœnam mereri, peccasse quip-  
pe officijs, reuerentiam abijecisse.

Alia etiam ratione inuisi sunt re-  
gnantibus, veritatis nuntiatores. Ne-  
mo nisi egens oblata ab alio bona ac-  
cipit, & in suos vsus transfert. quid  
autem magis indecorum, quam si illa  
deprehendatur in summo imperio  
egestas? sed quis inueniri negauerit,  
cum Princeps proprij consilij penu-  
riâ laborans, agendi regulas à quo-  
cumque sibi dari patitur, & publicus  
indigentiae suæ professor, omnes eos  
audit, qui inopi, expectantique, suam  
volunt infundere sapientiam? vt illa

igitur paupertatis labes non appareat,  
oblata veritas , tanquam stipis esset ,  
trahitur in dedecus majestatis, & op-  
timi consilij rejectione , ambitiosè  
probatur consiliorum abundantia.

Iniucundum præterea est illis qui  
fortunarum arbitri sunt , à subditis  
acepisse beneficium , quòd nulla re-  
pendentis gratia æquare vñquam pos-  
sit ; ita enim , quicquid soluant , per-  
petui debitores manent , & hoc ma-  
ximè videtur , cùm quis apud Princi-  
pem vtilissimæ veritatis delator , fa-  
mam illi seu seruat , seu restituit , ab-  
ijs rebus eum abducendo quæ maje-  
statem dedecorant ; etenim cùm fa-  
ma nihil sit pretiosius , qui illam al-  
teri contulit , in eo statu est , vt nihil  
nisi èa vilius à magnifico etiam dato-  
re possit accipere : & in altissimâ Re-  
gum fortunâ , opibusque ingentibus ,  
propri quoddam genus est , reddendi  
beneficij impotentia.

Illud quoque aduerte : ad populi gustum imperare quisquis se credit publico licet odio dignus , maximâ voluptate fruitur , & in ea probati regiminis opinione securus viuit . hanc decepti animi tranquillitatem , captatamque inconsultâ plebe gloriam cognita veritas excutit , turbinis instar ; nec fieri aliter potest , quâm vt illi qui eam detulerunt , velut Regij doloris authores habeantur , eorumque gratiâ prorsus indigni , quorum pacem turbauere.

Cletus , etsi differentem audiē audiebat , nouā tamen cogitatione incitatus , dicentis sermonem iterum intercidere non dubitauit . fœlix , inquit , Gallia nostra , quæ regem habet in eâ ætate positum à quâ nihil tale metuendum est . duodecim namque annorum Princeps , antequam suæ dignitatis totam majestatem induat , placidè audit , quodcumque illum

scire Reipublicæ interest; & licet immaturus adhuc negotijs, vtiliter tamen percipit ab ijs qui ad formandos eius annos electi sunt, regiæ potestatis documenta, quæ adulto vix aliquis forsitan Aristides instillare auderet.

Neque dicas puerum ineptè ad tantæ erudiri; consiliorum enim imagines teneræ ætati creditæ, ad senectam usque manent; vt etiam si in posterum tota aula, adulationi, de more suo, seruiens, taceret, semper tamen illæ, nihil majestatem reueritæ, nolenti loquerentur. Interim dum Princeps adolescit, & optimi regiminis formâ, inter serios lusus, iucundissimæque variæ historiæ narrationes, imbuitur, sapienter administrant regij tutores, acceptam potestatem: hos enim, quia supremi dominij insignijs non fulgent, nec nisi ad paucissimos annos, & seruiliter etiam

potentes sunt, veritas non pertimescit. Nam quâ fronte eam nollent audire, aut exilio multarent libertatem ipsius? cùm igitur Gallia Regem ad summa omnia natum, atque educatum habeat, & veritatis eximios cultores regni ministros, quibus innoxie referri potest, varius Reipublicæ status, & lassatae plebis, seu calamitas, seu furor, nihil nobis deesse videtur, ad spem maximæ fœlicitatis.

Fruere, ait Cyprianus, Clete mi, ea consolatione quam tibi creat ætas nondum calmitatibus instructa, naturæque benignitas. Id omne spera, & etiam crede quod optandum. certè si Princeps, eâ quam tu retulisti curâ excolitur, ante pubem virum habebimus, dolensque hostis cito mirabitur in puerō rege pretextatam sapientiam. sed de aulâ nostrâ quæsonē sermo sit, sacra nobis est; quid autem in cætero orbe hodie agatur cùm

in pueriles manus regnum incidit ,  
non cunctanter , & cum libertate re-  
feram.

Nondum adultos Principes utili-  
ter ea audire , quorum memoria in  
licentiori ætate potestati stimulos , vel  
frænum admouet , vbi iam nemo tar-  
ditatem , aut vehementiam regiminis  
culpare audet , certissimum est , Cle-  
te ; sed rari sunt qui regiam pueritiam  
molestare velint serijs sermonibus ,  
& ab ijs rebus auocare quæ maximè  
illam delectant . non instituere Prin-  
cipem , sed propensum habere stu-  
dium est illorum , qui etiam since-  
riores existimantur , & tanta circa  
majestatem assentatio , vt senex aula  
cum iuuene Rege minimis tota impe-  
dita sit , iocos amet , iuuenescat . Ete-  
nim non pudet plurimæ ætatis viros ,  
indecoris narrationibus , futili alacri-  
tate , canos suos inhonestare , auicu-  
lis immorari ; & quasi ad crepundia ,

post tot annos , à naturâ ipsâ reuocantur , ea tantummodo laudare , quæ primam ætatem inani solatio detinent , & dulciter fallunt . Inter hæc , veritatis maximum est silentium , nullusque , nisi perrarò , qui sapienti sermone lusus interfecet , & futuro viro prodesse velit præmaturis consilijs .

Est etiam quandoque in eâ veritatis suppressione iniquitas maxima ; timetur enim ab aulicis fœlicioribus , Principis solertia , & in distinguendis personis sagacitas . sciunt periculum esse fortunæ , si Rex aliquando aduertat se malè effundere opes in immeritos , neque satis subditorum delectum habere in conferendis honoribus . statim iisque ut erubescit Princeps ad immodicæ liberalitatis conspectum , fit parcior , gratiam non amplius inconsultè projiciens , sed ex iustitiâ dispensans ; tarditate etiam quandoque commendans beneficia ,

quæ minus chara accipientibus esse  
solent, cùm mature adueniunt. Ideo  
tantâ arte prouidetur ne impubes  
Principes, annis licet procedentibus,  
in viros euadant, vt durante ad rugas  
vsque infantiâ ppetuos tutores ha-  
beant, sub gratiosorum titulo, istos  
regiæ beneuolentiæ occupatores.

Vbi cautus Princeps, & rerum sua-  
rum prouidus; priuatorum fortuna  
aut omnino non insolescit, aut citò  
ruinâ premitur, veluti quoddam Rei-  
publicæ incendium; sub nouitio Re-  
ge, nec ad imperium apientibus con-  
silijs facto, quisque uidet quod utile  
est, atque possibile; exhaustis regni  
opibus saginatur rapex illa quorum-  
dam hominum ambitio, qui diuites  
se esse non credunt, si cæteri egeat;  
nec dignitatis crimen arbitrantur,  
tot miserorum sordibus sibi compa-  
rasse fulgorem; tot quotidie lacry-  
mis inebriari; &, quas puderet or-

natus humanioris , ciuium quoque  
suorum sanguine purpurascere.

Comoda certè est illustriū præ-  
donum audit dati extensa Regum in-  
fantia , & vafris hominibus non pla-  
cueris sit olles à Principe puerile inge-  
nium. Gratiam illorum vis aucupari?  
disce loqui Domino tuo de venatu  
aut choræis ; & frequenter illud in-  
gere, non ideo nesci Reges vt ingen-  
tibus curis conficiantur : optimè di-  
stingui à subditis , voluptate , ve-  
stium pompâ , & cæterarum rerum  
apparatu , quæ plebi admirationem  
faciunt. Ministros equidem deligen-  
dos ex eorum numero qui sapientiâ  
præcipui habentur , vt onus regium  
suscipientes , etiam in caput suum  
totas plebis iratæ querelas miserrimi  
adducant ; si forte aliquid in nego-  
tiosâ regni administratione fæuum  
est , & publico odio dignum. Serui-  
leum esse Principum illorum diligen-  
tiam ,

tiam , qui omnibus intenti , patrem familias agunt , & nimiâ sollicitudine suam fœlicitatem perturbant . Pulcherimum haberi , si Rex ingentium fortunarum creator sit ; illud enim ostendere Deo proximam authoritatem , quæ ad tantum opus sufficiat , & depresso quosque homines in eam excelsitatem possit euhere , quæ montium altitudinem æquet .

Si in sua aula fœlicius , vt tu memorasti , annos pueriles Rex agit , si permittitur ea audire , quorum notitia regis auribus , à cunis ipsis infundenda est : si iam veritatem non tantum pati , sed amare assuescit , variisque suorum antecessorum sortibus eruditur ad illam regiminis formam , quæ secura , & optima ; fœliciter & iustissimè sine dubio imperabit : virtutum namque omnium semina , vt audio , natura posuit in illo Principe , & labore modico

Y

amplissimam messem dabunt.

Iam serenâ grauitate conspicuus,  
iam secretorum animi custos tenax,  
pauca , sed sapienter , vt fert ætas,  
loquitur ; oculi nobiliori igne quam  
qui cupidinis incensi sunt ; neque ta-  
men inuenustiores, generosam quan-  
dam mansuetudinem præferut, quam  
nemo possit intueri , qui illicò Prin-  
cipem suauissimum non amet simul,  
ac tremat. totus corporis habitus ad  
fortia & regia habilis : sincera , sed &  
acuminata indoles. melioribus sanè  
principijs non potuit natura com-  
mendare sequentium annorum exi-  
mias dotes, nec flore pulchriori vber-  
rimos fructus prænuntiare in spei no-  
stræ solatium.

Quanquam Gallus natalibus , &  
Sacramento ego sum , longa tamen  
peregrinatione , à quâ & recens sum,  
vt scitis , adeò patriam ignoro , vt  
certè quid in aulâ nostra circa Regem

agatur , prorsus nesciam . hoc tantum  
de Principe latus accepi , quod scien-  
tibus vobis retulisse , mihi fuit noua  
voluptas ; nempe nihil esse moribus  
eius auspicatius , nec lentè in virum  
promoueri , vt pueri solent , sed festi-  
nanter grandescere , & ad vota co-  
rum , qui diu vicariâ potestate regi  
minimè optant . fortunatus ille , si  
adeò sinceris officijs colitur , vt non  
desint qui eas res illum moneant , qua-  
rum tam altum est in cæteris regijs  
silentium !

Quòd ajebas , veritatem apud nos  
non odisse regni ministros , tu vide-  
ris Clete ; in alijs certè regionibus vix  
aliquos inuenies , qui in eminenti di-  
gnitate illam animi mansuetudinem  
feruent , quam habuerant antequam  
ad istud munus assumerentur , cui  
comissa est publicorum negotio-  
rum cura , & excelsissimæ potestatis  
non expetita minus quàm ponderosa

Y ij

solicitudo. Illi penè omnes qui fœlicitatem regni in manu habent, & velut sydera quædam, influxu suo subditæ plebis varia fata constituunt, saeuos adeo foribus suis janitores adhibent, ut sæpè non pateant nisi priùs oblatâ pecuniâ, tanquam bellua quædam transmarina ostenderetur, custodum clementiam emas, qui vacuis nihil gratuito dare consueuerunt præter atrocia verba, & fustium iactus.

Admitti in conspectum virorum illorum, ingens fauor, dignusque quem multorum dierum inutili cursu, & patientiâ tibi compares. accessisti tandem? quid loquaris vide; ora supplex, lauda: parum est, fortunam in fastu suo adora; & si aliquid ab eâ non importunus petitor exigas, habebis propitiam: veritatem dicturus superbissimas ædes intraffi? vel abijce consilium, vel desine sperare iterum audiri ab offensis, neque feren-

tibus inscitiæ, aut negligentiæ, suam  
sic insimulari sapientiam. huius enim  
libertatis, vtinam non iniquius, cer-  
tissimum præmium est, æternum va-  
le. pudet quippe in summo honore  
co[n]stitutos, ea peccasse quæ noxia  
adeo censentur, vt in suis etiam ædi-  
bus, vbi tanta veracium sermonum  
parcitas, monitores inuenerint: &  
tolerabilius est, perire omnino rem  
communem, quam communitatis  
prouisores ad salutaria consilia coram  
hortatore suo erubescere.

His à Cypriano ita dictis, me diu  
silentem ipse inuitauit vt id loquerer  
quod animo versabam. Illud autem  
erat; nihil admodum noui esse quod  
veritas in Principum aulis non ad-  
mitteretur; quamuis hoc certè æuo  
durius cum illâ agatur, nec minori  
periculo gestare eam possis, quam si  
adulterinâ quædam pecunia esset, &  
lege aliquâ prohiberetur perniciosis-

simā mercem in publicos ysus ferre.

Nostra ætate veritas , priuatæ fortunæ certissimus morbus existimatur, sed ne Regius quoque sit , abesse iubentur ij omnes , qui contagiosâ narratione communicare illam regnantibus possent , hoc apud Iberos frequentissimum , vocaturque aulæ securitas , vtilissimorum hominum , vel honesta sub remotioris administrationis specie ablegatio , vel professum exilium .

Et hæc quidem cogitabam ; sed stupendum magis videbatur concionatores ipsos , qui præcones veritatis à Deo sunt constituti , tanquam iacentes tubas , amitto spiritu , in hoc aulæ silentio obmutescere . sapienter certè debent loqui , sed tamen loqui : voces sunt , si officium spectas ; cur autem non audiantur vbi sacer expectatur sonus , ad tam ingentia vtilis , nullam , vt puto , causam prætexere

possunt , nisi iniuriosam majestati ,  
cum vox incarnati Verbi prænuntia ,  
nec sub ipso Herode tacuerit .

Suspensas in salicibus cytharas  
cernere , magnum apud Hebræos  
captiuitatis indicium ; sed nunquid  
apud nos , tot concionatorum otio-  
fum munus , qui in materijs commu-  
nieribus verbosi , & ad auditorum  
tædiū acres , veluti pendentes hærent ,  
quoties de veritate aperiendâ coram  
caligante potestate occurrit occasio ?  
verbum Dei non esse alligatum , Pau-  
lus dixit : idemne dicturum Aposto-  
lum existimas si adhuc viueret ? cùm  
in Hispaniâ concionatori non liceat  
audiente Principe loqui , nisi priùs  
aliquis ex sacerdotibus aulicis osten-  
sam in scriptis orationem iudicauerit  
dignam delicatissimis auribus , eâque  
verborum temperantiâ concinnatam  
quam ferre possit , non assueta rigi-  
dioribus majestas ?

Eadem seruitute teneri vult suos concionatores aliūs in Italia Princeps , ne imperatæ modestæ terminos excedant, ubi plebis concursus est, neue fortiori eloquentia exagitent eminentissimæ dignitatis licentiam. ad sint pauci, inter domesticos & familiares, veritatem, licet vehementior sit neque ad aurium mollitiem accommodata, non omnino exturbari aiunt; sed nunquam publicè in istâ aulâ sine fræno illam videoas; ut balbutire coacta, nihil prorsus eorum nitide loquatur, quæ nisi in conspectum ponat Ecclesiastes , audaci plerumque vitio, ruborem non incutiunt.

Verùm, placet inquirere vnde illa concionatorum tam cauta, tamque urbana eloquentia, quæ in dominantes quoslibet reos numquam incitat, & cæ suavitate poculum miscet, quod nisi amarum morbo affectis

non prodest, vt illud iam non imme-  
ritò vocare queas, vinum quoddam  
nectareum, humanissimâ porrectum  
manu, ad sumentis delicias. adeò nam-  
que molliter in vitia inuechuntur,  
paucos excipio, concionatores illi,  
quibus disseminandi in aulâ Euange-  
lium Prouincia demandata est, vt  
Cytharœdis simillimi, suis numeris,  
suâ modulatione publicum potius  
tripodium excitent, quàm vllum  
mortaliū ad pietatem accendant.  
lætissimos auditores ipsi lætissimi,  
decenti venustate ita exhilarant, vt  
nullus queri possit se tædio, se dolore  
affectum, aut aliquid ex ijs rebus au-  
diuisse, quæ à rudiori Ecclesiaste in  
nobilissimâ tot purpuratorum coro-  
na, effusa fuissent, ad terrorem ani-  
morum.

Nouo plane Genio lepidissimi  
Apostoli in orbem Christianum in-  
uecti sunt, qui maximâ curâ homi-

num auribus , non saluti consulentes  
periodos librant; vocem , corpus om-  
ne , eâ arte dispensant , flectunt , vt  
nihil abeat à voluptate , etiam cùm de-  
pœnitentia sermo est , aut extremo  
iudicio. os tonsum , vestis elegans ,  
candida manus , eos adeo spectabiles  
efficiunt , vt tacentes quoque , si for-  
tè labascat memoria , auditoribus pla-  
cere nihilominus possint.

Dum eiusmodi paratur concio  
amici inuitantur , qui mirabundi ex-  
cipiant ; qui ad singula verba , vel le-  
ui risu , vel elato supercilie , decen-  
rissimum oratorem incitent , mo-  
neant , limatam ad lychnum oratio-  
nem , fœliciter eum pronuntiare , ad  
famam loqui.

Inter hæc vbi veritas ? vbi vitio-  
rum , vbi vanitatis profusissimæ , vbi  
ſæuissimæ voluptatis quæ suspiran-  
tem populum nusquam miseretur ,  
increpatio : vnde ista in Ecclesiaste

orationis comitas animique molli-  
ties? quis ab Euangeliō separauit quæ  
acriter prosunt , quis sustulit vehe-  
mentiam?

Dum mihi facio quæstionem solu-  
tio oritur , luxque subita nubem dis-  
cutit. non sine consilio isti concio-  
natores à veritate se abstinent. aliqui  
ex ijs , sperant ; aliqui quod spera-  
bant iam sunt adepti. futuræ fortu-  
næ officere illi metuunt si rigidè lo-  
quantur ; hi , accepti beneficij me-  
mores , officiosissimâ vrbaniitate re-  
pendunt gratiam , indignumque iu-  
dicant illis semper non placere , qui-  
bus olim vtiliter placuerunt. Aliqui ,  
quos neque spes , neque gratitudo ad  
illud veritatis silentium cogit , aliâ  
ratione obmutescunt.

Dulce est , secundas habere Princi-  
pum aures. si illis arrideas , tot lauda-  
tores certè habebis , quot ipsi adulata-  
tores , & circa te etiam populi con-

cursio fiet, ex more illa loca cæco impetu replentis, vbi conuenit, quicquid illi majus à fortunâ potest ostendi. Illo cætu priuari, vbi semel gustaueris, magnus dolor; & quia, Principe auerso, distrahitur ista concitatæ plebis frequentia, gratissimis sermonibus, prudentique silentio, fit, ne ille non reuersurus abeat, quem cæteri sequuntur.

Sic nominis claritas latior quotidie euadit, dum à quibuscumque obuijs iteratur illud, en homonotissimus aule, en Principis Ecclesiastes. Illa veritatis reticentia veluti clavis est, quâ palatij fores, multis non peruiæ, facile reserantur: hâc salutationes comparrantur frequentiores, & etiam demifiores. nam quos reueretur Princeps, alij colunt, libenterque illis tributum honoris debere se omnes fatentur, quod soluit primus.

Putatis autem illos concionatores

Principum animos demulcere, & aqua-  
litate orationis? non ita, interdum  
nämque inchoationes quasdam ter-  
roris habent, ne suavitate nimiâ fa-  
stidium sui faciant. sciunt enim duk-  
cia quæque nisi asperis misceantur  
non diu iucunda haberí, neque auï-  
dioribus conuiuis exquisitissimas epu-  
las placere, sine sale & aceto. verùm  
eà arte vehementes sunt, quæ diuer-  
sitatem pariat, non quæ flectat ad il-  
lum animi mœrorem qui finis est  
Euangelij.

Iam aliquod tempus effluxit, ex  
quo vnuſ illorum orationem habuit  
coram Ecclesiastico Principe, qui  
Regio licet diadematè non insignis,  
Regiè tamen audire cōfueuerat Euan-  
gelium, militibus stipatus, & suos po-  
tius concionatores territabat quam  
ab ipsis terroretur. Quid expectas à  
prudentissimo Ecclesiaste? etiam Prin-  
cipi viſus est multa minari, sic enim

ille. Audacter coram te pronuntiabo,  
Eminentissime Princeps, nec digni-  
tatis quâ pet totum orbem fulges,  
habebo rationem. Silere me non pa-  
titur populi clamor, communisque  
calamitas. Ad hæc verba nemo non  
fuit, qui maximam dicentis liberta-  
tem expectaret. fulgurationem ta-  
men eiusmodi nec leue tonitru sub-  
secutum est. In publica peccata quæ  
tot miserias in orbem inuexerant, to-  
tam bilem effudit. illi omnino simi-  
lis Imperatori, qui victimam immo-  
laturus, nam & sacerdos erat, non  
expectato iectu, miserrimum homi-  
nem qui proximè stabat, ipsâ, quam  
in bouem parauerat, securi percussit.

Ille profecto concionator etsi sa-  
piùs legerat Ecclesiam sponsam Do-  
mini sui, instar ordinatissimi exerci-  
tus esse terribilem, expauit tamen ut  
insuetis armis ferocem vidiit; & pro-  
uidus veritatis amator timuit quoque,

ne prodita ante Principem , à tot spa-  
tharijs , qui vel ad decorum , vel ad  
præsidium dignitatis , longo ordine  
stabant , miserrimè trucidaretur . Cer-  
tè ait Cletus , virum istum , veritatem  
vehementissime amasse crediderim ,  
cùm eam à se egredi non permiserit :  
totamque in pectore gestans , tan-  
quam thesaurus aliquis esset , effun-  
dere sit veritus , ne sibi pretiosissimam  
raperet , circumfusa multitudo . au-  
ra , sed vtilis prouidentia . nulli iustius  
dici possunt curatores veritatis quam  
isti concionatores , qui tantâ eam cu-  
rà contegunt ; ne , vt odoribus con-  
tingit , vase aperto euaneat & pe-  
reat . quid ad hæc tu Firmiane ?

Mirum referam , inquio ; majus  
veritatis silentium forte non fuit , illo  
quod obsecrâ nuper regijs armis præ-  
cipuâ regni ciuitate , ab omnibus om-  
nino concionatoribus seruatum est .  
cur dilectissimam antea yrbum , se-

dem imperij, irata majestas deseruerit, sparsoque milite, commeatu prohibuerit ea anni tempestate, quæ armorum licentiam compescere sollet, Mysterium est. An digni quibus fames inferretur ciues fuerint, & communem culpam æquauerit, aut superauerit trimestris propemodū pœnitentia, alta etiam quæstio; sed donec soluatur, illud notabo, nullum tunc Ecclesiastem ausum fuisse, pro Rege aut Reginâ loqui, ut religione non armis cogerentur miseri ciues, ad vtile sibi, iustissimumque obsequium.

Famosis vbiique libellis, scelerati authores, nullo arguente, deturpabant reuerendam post Deum authortatem. Augustissimæ principis honor à petulanti plebe proscribebatur, nefariæ obtrectionis, in eos omnes quos absurdum vulgus reos censuerat, nulla cessatio, aut modus; vt lin-

guæ

guæ pariter, ac calami sœuities, hyeme, aquis in medium urbem irrum-pentibus, bello quoque, & fame es-set atrocior.

Apud Christianos tandem calumnia damnatur quamdiu stat pietas, & conuitia prohibenti Deo, honor defertur. Quis tamen ex tot concionatoribus furentem contumeliam verbis insequutus est, ostenditque non eamdem esse debere armorum & sermonum libidinem, etiam cum ex iustissimâ causâ sœuit populus, postulatque ense & tumultu, quod precibus & longâ lacrymarum profusione à Principe non obtinuit?

Mirati sunt plerique, quod potestas iussos non haberet in obsessâ ciuitate concionatores, qui subditos iam longâ fame maceratos, adhuc tamen dubitantes regi parere, reuocassent ad officium. Nunquam adeò extinctus in Christianâ plebe diuino-

rum sensus, ut vehementi Spiritu excitari non possit. hunc si admoueant Euangelici Oratores, statim emicabit Religio, latensque sub ciuilium armorum rabie conscientia. ad cœlestis iræ minas concutitur humanum peccatum, & pauci sunt qui bellum obstinare velint, vbi ostenditur à Theologis non minus in Principem geri, quam in ipsam pietatem.

Cur ergo inter tot militares tubas, quæ tum martem acuebant, ex buccinis sacerdotalibus nulla audita est, quâ populus admoneretur eas illum leges accipere debere quas Rex dedisset; & si quid durius in illis censeretur, nunquam tamen licere mitiores morbos atrocioribus sanare, & quærere patriæ excidio, turbidinibus scilicet, quibus placandis vna sœpè ætas non sufficit, patriæ ipsius fœlicitatem.

Omnibus tributis, quæ regiam ga-

zam augere à pluribus annis consueuerant, grauiores esse illas ostiorum & capitum exactiones, quas iam ferre cogebatur exhaustum vulgus; nunquamque pacem sub rigidiore ministerio adeo acerbam fuisse, ut bello, & tot fortunarum periculis exturbari mereretur. iras ergo poneret exasperata plebs, & eam potestatem iam veneraretur, quæ rogata, non lassita illud dare consueuit quod æquum est non negari supplicibus.

Numquam salubrius Reipublicæ consuli, quām quiete, & malorum, si quæ in illa sunt, patientiâ; præterea, Aulam in dies mutari, ipsamque rerum humanarum inconstantiam quæ calamitatem adducit, breui ipsiusmet daturam remedium, si non maturare illud velis, sed expectes. Cogitarent omnes, nunquam subditos defecisse à Principe, qui prolixâ pœnitentiâ breuem noxam non eluerint; plebs

denique saniora loqui disceret, quām  
quæ quotidie iactabantur, magno  
Christianæ charitatis detimento,  
non in ipsos tantū regni ministros,  
sed in Regem ipsum, quia in ma-  
trem.

Hæc certè decens erat non tacere  
concionatores; nullus tamen ex illis  
suscepit læsi Regis patrociniū: Gra-  
fabantur impunē per totam ciuitatem  
adeo audax calumnia, potēnsque, ut  
nec in templis ipsis castigaretur. præ-  
cisis concionatorum linguis, maius-  
ne in hoc negotio veritatis silentium,  
vel gauderes seditiosus, vel doleres  
regi fidus? & hoc forsitan miraberis,  
Oratores Ecclesiasticos, quorum ma-  
xima laus, oris pudor & sermonis  
temperatura, modestiā tamen pec-  
care potuisse.

Vbi velut factō agmine plurimi in  
eodem corpore morbi coueniunt, ijs  
qui mortem periculosis vrgent,

promptior cura adhibenda est ; nec  
medici crimen censetur cæterorum  
ad breue aliquod tempus negligen-  
tia. obfessæ ciuitati existima , si lu-  
bet, non defuisse flagitia illa quæ pa-  
catis temporibus concionatorum ze-  
lum iustissimè accendunt ; at certè  
plurima ex ijs , subtractâ annonâ lan-  
guebant ; & in communi hominum  
calamitate ipsa quoque scelera cala-  
mitosa , querebantur eripi sibi dile-  
ctissimum otium , amicas opes , sub-  
fidium voluptatum. tot vitijs majori  
ex parte inter arma , inter terrores ,  
ipsamque pauperiem , quæ iam & di-  
uitum esse cœperat , quiescentibus ,  
vnum odium detectâ fronte , & pu-  
blicè furens insaniebat , ad infaman-  
dam potestatem quotidie solertius ,  
atque atrocius ; & quasi illud esset le-  
ue aliquod in Christianâ ciuitate ma-  
lum , conuijts exsaturari , & profes-  
so odio illud omne fingere quo fœ-

dari queat inuisi nominis claritas,  
quilibet concionator in ea tantum vi-  
tia inuehebatur , quæ tum aut nulla  
erant , aut certè latebant.

Quàm fœlix eâ tempestate obtre-  
ctatio , quæ fari , quæ scribere omni-  
ño sinebatur ; & nouo quasi priuile-  
gio donata, in immanis licentia , non  
excusationem modò , sed laudem ,  
tumens proferebat , vbi criminari eam  
velles , oratorum silentium !

Ex his intellige quanta sit nostra  
ætate veritatis reticentia , quæ iam  
nec regibus in gratiam miseræ plebis ,  
nec plebi in Regum fauorem defer-  
tur : ut hodie prorsus nescias , tur-  
piorne in Principes , quàm in ipsum  
vulgaris adulatio .

Egregium volumen , ait Cypria-  
nus , Clarissimi viri , apud Hispanos ,  
Crossæi , intra paucos dies habebi-  
mus ; vltimâ enim manu perpolitum  
opus lucem expectare , aliquis mihi

retulit. à candidissimo authore pluri-  
ma veritas tractabitur, vt qui audire  
eam nolunt, saltem legant, & quod  
fastidiunt aures, ad mentem perue-  
niat patientiori oculorum ministe-  
rio. frustra opus illud speraueris, in-  
quam, mi Cypriane; & si non om-  
nino extingui conceditur lentissimâ  
disceptatorum sententiâ, saltem ca-  
stratum habebis, ne aliquid potestati  
inuisum in lectoris mente, libertate  
sua generet.

Certè æquum est, ait ille, ea sœui-  
tia ad castitatem cogi authores quoſ-  
que libidinosos, qui obſcæno calamo-  
legentium mores inficiunt; sed pu-  
dico operi hanc inferri violentiam.  
dolens audio, timendumque est, ne  
à ſcriptione, fœcundissimi ingenij  
viroſ, atrox pœna deterreat. ſed quia  
feueriflissimæ animaduersionis in pro-  
batos authores legem ignoror, quæ,  
vt aīs, eximium ſcriptorem inter reos

incerto exitu detinet; dic quæso quâ ex causâ tot quæstionibus exagitantur scriptores veritatis?

Vnum hoc restabat ô Cypriane, inquit, ut Principes à mortuis discernent quod viuentium nullus illis retulerit; sed illud quoque damnatum est, & in libros pœna constituta, qui vel modicè tractarent de abusu potestatis. doctores Catholicos illis præfici, qui de fide authoris cognoscerent, non satis fuit: reuifores inuenti sunt, qui feueriori calamo illud omnne rescindere omnino iubentur quod nouerint hodiernæ administrationi gratum non fore; ita fit, ut qui de rebus politicis hodie scribunt, molliter, & palpando scribant; vel si audaces fortiori stylo peccantem potestatem pupugerint, castigentur acerimè.

Crossæus ille, de quo mihi tu, doctores quibus cura fuit nihil irreligio-

sum sine censura in opere prætermittere, benignissimos habuerat & illorum testimonio dignus censebatur, qui de Christianâ Politiâ scribebat, ob singularem prudentiam. sed miser, cum omnia se absoluisset, quæ ad quietem authoris pertinent, arbitratur, in reuiforum manus delapsus est. vix credas quanta, & quam utilia abraferint homines isti, totos articulos sustulerunt, ne in paucis videarentur perdidisse operam, & ruinâ minori spectatissimæ fidei mercedem meruisse,

Cum Herodes infanticida filium quoque suum in cunis iugulari impuruisset, Augustus, qui tum Romæ degebat, accepto nuntio, pueri sortem miseratus dixisse fertur; meliori conditione apud Herodem porcos nasci, quam liberos; cum ille, qui religione ductus ab eiusmodi animilibus abstinere solitus erat, regiae pro-

li non parceret. Nec male etiam quis dixerit, impuris plerumque authoribus, hoc perditissimo sæculo, melius esse, quam ijs quos commendat argumenti sanctitas, atque mundities. nam quis nesciat libros qui fictitijs amoribus veros ignes fouent, & creant, nullo opponente prælo dari, ut narrationum luxurie corrumpantur virginum mentes, & quid delusis parentibus peccare possint, otiosæ discant adulterio veritatis?

Librum scribe qui gratissimis erroribus, & varia rerum specie iucundus sit; qui amoris ingenium, fletus, somnia, furta, desperationem, fidem, non impuris omnino verbis enuntiet, obstat nullus, nec à reuisoribus periculum erit correptionis. Sed heus te miserum, si in bonum Republicæ ea scribis sinceritate, ut qui te legerit, agnoscat id verè non agi in regno, quod agendum esse ratio-

docet, temporumque calamitas. hoc  
iam Crossæus didicit suo impendio,  
non nimiâ certe libertate reus, nam  
prudentissimè illum scripsisse certif-  
simum est, sed Genio sœculi infœlix,  
qui fabulas amat, neque sinit absque  
foco, & blanditijs veritatem ostend-  
di. An ergo insulsè egit sculptor,  
qui marmoreâ ueste eam operuit, vt  
quàm periculosè nuda appareat, ne-  
mo ignoret?





# SCRIBENDI LIBIDO.

OCTAVA DISSERTATIO.

**Q**VADAM die inter festorum otia, postulauerat Marcellinus, vt de Genio sæculi aliquid quod vtile, iucundumque videretur, proponerem; necdum de argumento conuenerat, cùm ille subitâ recordatione iectus, Dialogum se quemdam, ab amico acceptum, eo fine attulisse, vt nobis ostenderet, chartam protulit; & quia mihi iam debilior acies minutissimas literas, cōfusis characterū imaginibus, adeò miscebat, vt cohærere omnes videbentur, non secari interuallis, & ad

suos usus distingui, iuniorem rogaui,  
legeret ipse, qui sinceris adhuc oculis,  
serum ophthalmiam, eaque lucis  
ambiguitate non laborabat. hic vero  
erat Dialogus, quem ad multos per-  
tinere, & ad te forsitan, si tu quoque  
legas, scies.

## ECCLESIASTES PLAGIARIVS. DIALOGVS.

*Æmilius.*

*Crito.*

**I**N VNC, & magistratus tuos lauda *Aemil.*  
quos tam saepè iactasti, velut iuris  
amantissimos, & legum propugna-  
cula: moriar! si prisca ætas vñquam  
tulit iniquiores.

Quis iste sermo tuus *Æmili?* ex *Crito.*  
quo nos coniunxit quotidianæ vitæ  
consuetudo, non memini te cuiquam

durum fuisse ; si qui peccant , plus solles misereri quam irasci ; & adeo te mitem praebes ijs qui plecti meruerunt , vt non desint qui hanc animi mansuetudinem vitium putent , & naturae mollioris temperamentum . Ergo huc usque vixisti placidus , vt in Iudicibus nostris faceres rudimentum iracundiæ ? Sed dic , quid peccauere tribunalia , vel potius , quid illis non dignum fecere , iij quibus tam acriter succensuisti ?

*Aemil.* Nihilne censes Crito , quod publici fures impunè viuunt , sub oculis patientissimi Senatus ? quod proborum spolijs fortunam suam augent , exornant , & hoc in Regia vrbe ?

*Crito.* Mentem tuam non capio , Aemili ; proponis ænigma , an oraculum ? si vis intelligi , memineris te homini loqui , qui nec Oedipo magistro subtilitatem edocetus , nec in speluncâ Sybillæ , Tripodi admotus est , vt

Apollinem reciperet. Quid vidisti,  
quod nostrorum iudicum integrita-  
ti tam male conueniat, ut veluti con-  
stituat nocentibus pares, & in pur-  
pura reos?

Audisti Philebum, Crito? illum *Aemil.*  
dico concionatorem, qui nuper apud  
plurimos in pretio fuit, habitâ, de  
sanctis quibusdam panegyricâ ora-  
tione?

Quid hoc ad iudices, in quos ipse *Crito.*  
tu iudex, iure an iniuriâ nescio, di-  
xisti sententiam?

Ah, Crito, Philebus iste; hoc *Aemil.*  
crederes? famam sibi quæsiuit alien-  
nis sudoribus; quicquid in illo stu-  
puuit imperita multitudo, furtum est,  
& ut verius dicam, sacrilegium. Cur  
enim sacrilegium non sit, sacræ rei,  
& sacrâ in æde, usurpatio? Deusbo-  
ne! vbi nam gentium sumus! ante ip-  
sa altaria, notissimæ frontis homines  
conueniunt rapiendis concionibus,

& hoc tacent Iudices vestri, nec vñ-  
quam tantæ audaciæ fures citantur  
ad tribunal.

Crito. Ergo hoc est, quod volueras ;  
Æmili charissime? iam non laboro ad  
tuam mansuetudinem absentem ani-  
mum reuocare, qui ab illâ non dis-  
cessit, vt video ; & iræ specie, in la-  
trones inultos, tam suauiter suos  
sales effudit: fateor lepidissima simu-  
latio decepit me ; & iam in mentem  
venerat lenire indignatîs animi acer-  
bitatem; cùm iocus, vt res erat, mi-  
hi vîla est, & risum prementis, vt ita  
dicam, seueritas festiuia. Sic ludis  
amicos, Æmili, & frontem adeo fin-  
gis, vt qui tibi coniunctiores sunt,  
quando non placet, motus tuos non  
sentiant ? numquam mihi deinceps  
imposueris.

Æmil. Et inde scias, Crito, te non om-  
nes personatos benè nosse, qui, quod  
non sunt se exhibent mortalibus, vt  
pessimæ

pessimæ artis ingenio , improbitatem non sensuris vtiliter placeant , & vel sibi fortunam concilient , vel famam. Nihil communius in aulâ vul-  
tibus istis , qui iram , gaudium , be-  
nevolentiam , mœrorem etiam , præ  
se ferunt , ad gestantis arbitrium , & què  
in omnem scenam parati , & etiam  
daturi lacrymas , in summâ mentis  
alacritate , si ita postulauerit adulat-  
io. Sed ad nostrum concionatorem  
reuertamur. Nihil suum proposuit  
auditoribus , præter vocem & auda-  
ciam.

O infœlicem ! paucis ante diebus  
illa ipsa , quæ velut noua , & tanquam  
ex propriâ penu , tam ambitiosè pro-  
mebat à Crescentiano , qui verè au-  
thor , & magni nominis vir est , au-  
diueram ; & quia prima vox illa , au-  
res adhuc meas quodammodo ferie-  
bat , declamatoris sermo , mihi alte-  
rius echo omnino visus est , nisi quòd

Aa

majore tumultu diffundebat se, laſſabatque fastidientem. Putas forte me ſolum, parum ſolerter audaciam animaduertifſe? vix finierat alieni operis prædo, cum rumor excepit e suggestu descendantis vltima verba; non qualem excitat publicè laudata virtus, vel apud populum fœliciter dicens eloquentia, ſed qualis eſt fur rem indicantium, & poſcentium raptoris meritas poenas. Certè in tantâ frequentiâ latere vix poterat misera uis, plumis non ſuis contecta; quas etiam ita malè concinnauerat, ut non in totum nuditatem ſuam velarent. Cutiſ enim quandóque inter tot colores fœdiſſimè ſe prodens, festiuſ ingenijſ riſum ciebat, alijs miferatiō nem, vel etiam pudorem. Quid ad hæc dicis, ô Crito? non tibi vide tur Plagiarius, qui ſic alienis bonis imminet, ut nec vellet vti ſuis, ſi quæ forſitan, ingrata, & illibe-

ralis natura laboranti concederet?

Plagiarum dicis, Æmili, sed cur, *Crito.*  
non satis video; facilius caperem si  
dices Pelagianum: sed fortè vir ille  
cui tam prolixè maledixisti, non ali-  
ter fuit gratiæ iniuriosus, quām illam  
abijciendo, quæ oratores efficit audi-  
toribus gratiosos.

Non audisti quid lex vetus statuerit *Aemil*  
in latrones, qui inscijs dominis ser-  
uos alienos, spe fortunæ mitioris,  
vel etiam violenta manuum iniectio-  
ne, ad suos lares trahebant; illorum  
vsuri ministerio, in quos nullum ius  
haberent? isti quos Plagiarios voca-  
bant, non ignobili furto, vt cæteri  
raptiores, peccabant in legem; non  
vestis, non pecunia, non ampla su-  
pellex sollicitabat improbas mentes.  
nihil altius, nihil utilius ipso homine  
rati: Quicquid industriae, quicquid  
virium esset, in hoc facinus adorna-  
bant, vt furtiuis mancipijs, non vt

Aa ij

purpurâ, serico, aut metallis ditarentur. Verè Philosophi, si non fures, qui generis humani dignitatem tam bene nossent, vt nihil æstimarent preciosius.

Peiores habemus Plagiarios, Cri-  
to; quid mereri enim existimes con-  
cionatores illos, qui non seruos tan-  
tum dōminis, vt iſti, sed liberos, tan-  
ta spiritus, tantâ laterum conten-  
tione in lucem editos, veris parenti-  
bus subtrahunt; vt steriles animæ,  
laudis quidem auidæ, sed laboris non  
patientes, matrum fruantur priuile-  
gijs, & imponant multitudini, fœ-  
cunditatis opinione?

O sæculum in felix, in quo Salo-  
mon nullus qui ius matris discutiat,  
& dicat iterum, in non dispari causâ,  
Date huic infantem, ipsa enim mater  
eius est! interim miseri foetus, ab am-  
plexu matrum auulsi, frustra gemunt  
in alieno sinu, dum de illorum na-

talibus nulla sit disquisitio : & inter tot ficticias matres , nulla penè plures liberos ostendit, quām quæ nulos enixa est.

Fallor , Æmili , vel tantâ animad-*Crito.*  
uersione plecti non debent qui tam commodè studiosorum laboribus vtuntur , vt suis parcant. Quid quereris ? nulli meo iudicio ampliori laude digni sunt , quām qui sedulò currant , ne sermo diuinus illis excidat ; cuius , vel syllabæ omnes , tot gemmæ sunt , quarum ingens pretium , quicumque oblatas non colligit , videntur ignorare. iniustus planè es , Æmili , qui vis manna concessum inediâ laborantibus , ad spectaculum solùm effundi , non ad usum mortaliū. Quis vnquam ex agricolis noluit succidi messem suam ? an propterea seminas , vt nemo sit , qui subluetur egregijs laboribus , & qui te conseruatorem vitæ suæ toties dicat ,

A a iij

quoties tuis vigilijs vtetur in subsi-  
dium suum?

*Aemil.* Dicam fortasse, Crito, quòd nes-  
cias. Nulli, minori fructu, cōcionibus  
intersunt, quàm qui scriptis tam se-  
dulò mandant quodcumque audiue-  
rint. dum enim intenti suo furto , in-  
hiant conceptibus, sententijs Patrum,  
orationis vel floribus, vel neruis, to-  
tum illud quod animo insidere de-  
buerat, nempe pietas , illos præterit:  
& sic miseri auditores , egent dum  
pleni sunt; quodque certè mirum est,  
illos videoas in tantâ rerum affluentia ,  
quibus saginantur , tenues , & , vt ita  
dicam, sine temperantiâ sobrios.

*Crito.* Saltem fatere, Æmili, istorum de  
quibus agitur, laudabilem esse dili-  
gentiam. Quid? ergo crimen erit, au-  
ris suspensa , promptus animus , &  
manus expedita ?

*Aemil.* Si hos laudas, Crito , lauda quo-  
que furum diligentiam, qui non ex-

pesta  
curse  
radijs  
fecta  
gilan  
bus i  
adhi  
gent  
ordi  
tutip  
curre  
nunc  
liger  
num  
com  
men  
tran  
rum  
enir  
lige  
pau  
ris a  
pro

peccatâ saltem aurorâ , ante suum cursum impleuere , quâm sol primis radijs oculos nostros refecerit , confecta itineris sui mediâ parte ; & vigilantiores sunt vtique , excubitoribus ipsis , qui seruandis Principibus adhibentur ad custodiam. Non diligentia illa laudanda est , Crito , quæ ordinatur ad malum ; sed illa quæ virtuti præstò est , sequi parata , & etiam currere quò vocauerit. Cæterùm nunquam mihi persuaseris , apum diligentiam imitari has vespas , quæ numquam mel conficientes , semper comedunt. Quid mihi curam illorum memoras , qui totas noctes insumunt transcribendis concionibus ? otiosorum est planè ista occupatio. Neque enim videtur illorum æstimanda diligentia , qui ne vnquam laborent , paucissimis horis laborant , & torporis amore , aliquas vitæ suæ partes , probrofissimæ simul , & ineptissimæ

A a iiiij

occupationi seruiliter addicunt.

*Crito.* Vnum hoc saltem concede, Aemili, fieri, non multâ impensâ, doctiores, qui sic colligunt.

*Aemil.* Immò, magnâ eruditionis, quâm habere posset, iacturâ, hoc literatorum sordidum genus fruitur alienis laboribus. Sic enim animus, à quo nihil vñquam suum extorqueas, arescit, velut vbera, quæ lac copiosè datura frequenter fugentibus, neglecta siccantur, nec amplius ministrant. Aliquos noui, qui cùm possent non multo labore, eruere quod in illis natura posuerat, non parcâ manu, ita tamen prædæ assueuerant, vt à se nihil vñquam exigerent, de alieno fundo semper victuri, & paupertate, quam sibi suâ negligentia fecerant, necessariò raptore, si non vellent egere.

Paucos ex mendicis videoas, qui, etiam facultate oblatâ, artium vlli

mancipare se velint, quæ illis fœdissimam hanc, sed dilectam libertatem adimeret, quâ, semper errabundi, & in patriâ suâ velut exules, omnibus penè sunt oneri, qui in suo confitunt. his, ne dubita, Crito, concionatores illos annumerare, qui arte proiectâ, tanquam fœlicitatis non paciente, se torpori ita dederunt, ut nunquam moueantur nisi ad furtum, cùm turpis, nec minus audax necessitas, pauperes ambitionis admonuit diligentia. Tunc enim mirum est, quantum viæ confiant isti languidi, ut alienis opibus subleuentur; qui proprias, & honestè quidem conquisitas, ignauiae amore, habere noluerunt.

Nulla fit concio celebris, cui non intersint homines isti, ita sine armis minaces, ut etiam illos cum solo calamo concionatores timeant: Non enim, ut quidam fures honesti, & in

ipsâ suâ sæuitiâ non inclementes, aliquam partem bonorum quæ inuenient, spoliatis relinquunt; nihil est quod non rapiant manus acerbæ, & ita assuetæ latrocinijs, ut nihil illas prætereat, nisi somnus obſtiterit. Sed quām raro dormiunt isti latrones, qui, non secus, ac ille Poëtarum Argus, plures videntur oculos habere, quām cæteris mortalibus, in legitimum ysum natura concesſerit!

*Crito.* Perge, perge, Æmili, delectat enim ad longum audire quid sentias de concionatoribus istis, ex genere mendicantium, qui voto paupertatis celebres, ordinem quemdam fecerunt in Ecclesiâ; quem tamen, ut verum fatear, nec suadet Euangeliū, nec curia Romana satis approbat, nullum Ordinem suis vnquam diplomatibus honestatura, nisi cuius vtilitatem viderit.

*Aemil.* Benè est, Crito, non enim pro

illis ità pugnas , vt non saltem dignos  
æstimes , quos irrideat vir sapiens &  
peritus : quando tu quoque meritos  
pungis dicterijs , & ad scommata pro-  
uocas , venustissima defensione . Sed  
quoniam ad partes nostras accessisti ,  
anteà hostis , si non re , saltem verbis ,  
& vultu ; dicam serio quid liceat con-  
cionatori decerpere ex alienis labori-  
bus , quos non ideo suos æstimare de-  
bet , quia , fontium more , sitientes  
aduocant pulcherrimâ vndâ & publi-  
cè funduntur .

Aliud est , flumen haurire , vt de  
Xerxis exercitu prodigioso narrat  
Historia , aliud ita opportuno amne  
vti , vt alijs relinquas . licet quidem ,  
ô Crito , delibare conciones virorum  
illustrium , sed illos non probo qui  
glutiunt . fit enim eo modo sæpiissi-  
mè , vt ipse , cuius labor est doctissi-  
ma & exactissima concio , non plus  
semel suis bonis vtatur , suadente sci-

licet verecundiâ ; postquam isti fures,  
nullo pudore , vbique velut sua spar-  
serunt improvidis auditoribus.

Quid ergo ? Ecclesiastes , maximè  
nouus , & rudis , ab alio concionato-  
re nihil accipiet ? faciet quidem , sed  
modestè , non enim totum rapiet  
quod inuenierit ; sed aliqua , vt vir bo-  
nus , & non sine benefactoris reue-  
rentiâ , si opus est , mutuabitur.

Quis ferat Poëtam , qui Virgilij  
Æneidem , vel etiam Pastoralia , Mu-  
sæ suæ partum diceret ? scis quantâ  
infamia vapulauerit ille qui paucos  
eiusdem Virgilij versus , suos dixit ;  
vt fœlici adulacione , & quæ iam apud  
Imperatorem accepta erat , ignoto  
licet authore , principis gratiam aucu-  
paretur. Nemo sordidior , quam qui  
comptus est , sponsarum rusticarum  
more , ornamenti scilicet , quæ , nec  
sua sunt , nec nisi inuenustè corpori-  
bus aptantur , quæ non ad hoc finxit

natura, ut margaritis fulgeant, & in modico lapide circumducant ingens patrimonium.

Prudens ergo ille & iustus simul, ô Crito, qui sua cuique relinquit; ea quæ audiuerit à peritis, & exercitatis, religiosâ conscientiâ contentus imitari.

Perlecto Dialogo omnes vnâ voce Religiosum furem damnaierunt; & quia tum nullus inter nos laicus incompetens sacrorum iudex aderat, dictum est sacerdotem reum, cognitâ causâ, auditisque certissimæ famæ testimonij, iure à sacerdotibus iudicari potuisse.

In peccantes quoſl bet alios nulla forte vñquam fuit diligentia promptior, aut parcior miseratio; neque enim excipiendis suffragijs vrna petita est, aut amplior expectata à protracto tempore veritas; derepentè singulis viſum, æquitatis iniuriam fore,

si rapacissimi hominis mulcta vel ad  
breue tempus prorogaretur.

Damnato Philebo , scriptorum  
qui nostra ætate , noui cuiusdam pe-  
culatus rei , malè partis diuitijs intu-  
mescunt , & vt suas opes iactitant ,  
quodcumque improbabâ manu , me-  
llioris fidei viris rapuere , causa expen-  
pensa est. authoribus enim plagiarijs  
illam indulgentiam concedi , quæ ora-  
toribus negata esset , iniquum vide-  
batur.

Tres omnino mecum erant in cel-  
lâ ; Clinias , qui aliquot dierum rura-  
li sollicitudine detentus , in urbem se  
recepérat , & cum nostro Marcellino ,  
Stenius. Primusque Clinias , vindictæ  
ardore , dissertationis argumentum ,  
silentibus adhuc cæteris occupans (au-  
thor enim nescio quis , mutuata ab  
eo scripta , quasi ad legentis solatium ,  
fœdissimo ambitionis genere , maxi-  
mâque dataæ fidei iniuriâ , tanquam

sua vulgauerat.) Diogenem, inquit, non magis in foro cum suâ laternâ olim impeditum fuisse, quàm denuò impediretur, si rediuius in librario- rum officinas se inferret, facillimè crediderim. is námque qui in maxi- mā populi frequentiâ, virum bo- num minimè inuenit, apud Typo- graphos, qui tot volumina ad irrita- mentum studiorum, prætereuntibus ostentant, vix in aliquos vltimæ æta- tis authores incurreret, ita à furto im- munes, vt lectoris sui misericordiâ digni sint. qui audaciores ex illis fue- re, libros integros patientissimâ ma- nu excerpterunt, & fronte mutatâ ita nobis proposuere labores non suos, vt etiam aliquando eximiam laudem ex crimine sint consecuti.

Quid tibi acciderit nouimus Cli- nia, interfatur Stenius; verumtamen furto ansam dedisse dignitate operis, ingens gloria; nec minimum iniuriæ

solatium est , insidiosi amici iam de-  
tecta fraus , improbaque gloria ab  
omnibus stigma inustum. Si cætera  
deinceps paris insaniæ ausa idem suc-  
cessus maneat , minori authorum pe-  
riculo egregij , sed nondum editi , la-  
bores , infidis manibus credentur !  
nam quis adeò fatuè superbit , vt fa-  
mæ infœlicis amore , sponte ruat in  
certissimum dedecus? iniuriam certè  
accepisti , verùm illam æquauit rapto-  
ris tui poenitentia : quicquid tibi de-  
traxerat inuisa priùs , iam æquior , tibi  
fama restituit . quòd sis author scripti ,  
omnes agnoscunt . Sed , ô te rigidum ,  
si tot fures esse existimas in librario-  
rum officinis , quot apud illos noui  
authores inueniuntur , quia tu vnum  
passus es . vbi lampasvnica ardet , plu-  
res videre lucernas , non sobrij oculi  
est ; & te abstemium pro vnico fure  
plures intueri , cur non mirer Clinia?  
nisi ais , vini & doloris eosdem ali-  
quando

quando esse effectus , iratisque posse accidere , vt ad vnius latronis conspectum turbam videant.

Nihil ad hæc Clinias : se acceptis duobus qui , tanquam iudices expectarent , tum fortè in mensâ iacebant , recentiorum authorū libellis , vtrumque explicuit . Diuersa frons , neque idem propositum : sed , ô rem stupendam , nec expectatam ! vnum è duabus furem esse palam fuit : mutuatæ passim non sententiæ modò , sed voices : transfusa in chartam audacem tota capita : noua prorsus librorum Metempsychoſi , quam nec ipſe Pythagoras agnouit . vter ex illis raptor haberetur , ex phrasis inæqualitate iudicare facillimum fuit : verùm , quòd mirere , is erat qui grandiore titulo , & venustiori charactere , fortius ad sui conspectum lectorem inuitabat .

Tum Clinias risu plenissimus , & fœlicissimo casu tumens : dà alios ,

Bb

inquit, ô Steni; paucissimos licet ministraueris, nullo negotio, nisi manus experto toties mihi credere, inter illos furem ostendam.

Et ego idem saepius animaduersti, inquit Marcellinus; plurimosque inueniri authores, qui serupulosè adeò quod in alijs placuit exscribunt, ut ex nimia fide nocentes sint. Ab Genio autem sæculi esse existimas, ô Firmitane, cum animi motum qui calamos agit, illosque omnes ad furtum incitat, qui iustissimo labore expetitam famam assequi, vel minimè optant, vel omnino non possunt?

Ita est, mi Marcelline: aliquis in cœlo Mercurius, qui verbosos authores minimè tacere imperat, & quod ab alijs acceperunt, repetitis vocibus ita importunè iterare, ut saepè cum plures libri apud te sint, si ex rebus ipsis, non ex voluminum mole, aut specie, Bibliothecam tuam æstimes; vnum

habeas. Quòd quædam sectæ supra inodum vocales extiterint, & inter ceteras, loquacissimis scriptoribus qui eas acriter tutarentur, fœcundissimæ, multi autem referendum in sy-  
dus, cuius imperio premebatur orbis, cùm natæ sunt.

Ad hæc Clinias , tanquam cœli Apologiam suscepimus , in quod ego nolens peccasset. Ineptijs nostris astra oneras , inquit , ô Firmiane, qui garrulitatem mortalium sideribus impingis ; quâ ergo cœli positi-  
râ emerserit sæculum istud, quòd iam nouo rerum ordine fluit , petendum erit ab Astrologis , ut tot librorum , quos in sui pœnam ferax ætas non plus facit, quâm patitur , latentes cau-  
fas inuenias?

Miserrimi certè cœlestium orbium perscrutatores ; si illos cruciat adeo infelix diligentia , & ad nullos usus profutura obseruatio. Quis enim su-

Bb ij

perbissimi laboris fructus , aut glo-  
ria, sæculi tui Horoscopum in tabula  
delineasse , cui nemo credat , nisi qui  
ita insanit , ut breuem , vexatamque  
superstitioso calamo chartam , existi-  
met complecti fata Regnorum , plu-  
rimæque ætatis certissimam Prophe-  
tiam . qui in breuissima statua scul-  
ptor errauit , in colosso turpius à iu-  
stâ partium ordinatione discedet , ar-  
tem namque ipsam turbat immen-  
si operis vastitas , & vix in maximo  
peccatur , nisi maximè . Credam ego  
sæculi totius Horoscopū rectè Astro-  
logos constituere , qui in priuatis for-  
tunis adeo hebescunt , ut iam apud  
plebem nihil habeatur Mathematico-  
rum inscitia famosius ? nisi aliam das  
quàm quæ à Mercurio petitur , mo-  
lestissimæ loquacitatis causam , nihil  
agis Firmiane , nostra ista garrulitas ,  
cœlum innocens .

Si aliquis Mercurius scribendi li-

bidinem indidit mortalium ingenij, ille profecto est, qui apud Ægyptios Trismegisti nomine clarus, scripsit aliquando, eos homines prorsus Deo inuisos, qui absque liberis migrant è vita: & quia iam latinitate donatus, peregrinus esse desijt apud nos celeberrimus author, liberos pro libris, ex Typographorum scilicet incuriâ positos, plurimi ex nostris sunt arbitrati, infinitorum iam propè voluminum Patres, ut ampliori generatione sibi Numen concilient.

Venustè, ô Steni, in duplice Mercurio ludis, inquio: sed cur notissimæ experientiæ suffragium neges, quæ verbosos nasci sub cœlesti Mercurio homines, quotidie ostendit? ideo fabulosus ille Poëtarum Hermes eloquentiæ Pater est habitus, cæterisque cœlestibus aptior ad ea significanda, quæ ex Deorum decreto referenda mortalibus erant siue

adeundi illi essent soporis aptissimâ horâ , siue insomnes. Loquendi certè necessitatem sydera minimè impo-nunt , cùm & tacendi sit libertas , sed eam tribuunt facilitatem , cui silentium , si durat , & maximè si impera-tur , non leue supplicium est. Verùm , si à Mercurio aut aliquâ aliâ potesta-te superiori , loquax esse sæculum ne-gas , garrulitatis importunissimæ cau-sas etiam apud nos inueniam.

Olim rariores qui studia colerent : nulla iam penè familia sine literis : & sæpiùs licet modicæ sint , eos tamen ad scribendum dant animos , quibus incitatur profundior eruditio , spe-ratque , si diutiùs latere desinat , pos-se se aliquid conferre in publicam vtilitatem.

Lux non facilè absconditur ; liber-tati nata , si illam opprimis , carceris sui rimas scrutatur , quærit effundi. Pa-tas autem patientius ingenij lumen ,

scientiam dico , cuius radijs existimat  
ille qui studuit , posse illustrari fa-  
mam suam? labor est , sed & dedecus  
putatur , latentes Musas continuisse.  
Si exitum negas , animum certissimè  
pulsant , & iratæ non sinunt inultum  
diu viuere custodem suum.

Quis Rhethoricam , quis Philoso-  
phiam eâ conditione velit accipere ut  
fileat ? cerebri non tantum morbus  
est , coactus humor , & frustrà per oc-  
clusos meatus viam quærens ; scientia  
quoque ingens capitidis dolor , si exi-  
re non conceditur ; acerbissimæque  
ægritudinis nullum omnino reme-  
dium , nisi lingua , aut calamus . Ve-  
rùm quia tot Professores publicè do-  
cere , quot literis operam dederunt ,  
ridiculum æquè ac incommodum ,  
nec spes datur innumerabiles Magi-  
stros ferre posse auditorum patien-  
tiam : quilibet sciolus cartham sibi pro  
scholâ haber , eoque animo lectores

quærit, quo & auditores quæreret, si coactis vndecumque discipulis, liceret in maximâ hominum frequentiâ habere concionem. Sciolos dixi, illorum enim qui se multa scire arbitrantur, cùm paucissima nouerint, difficilius est silentium. Minus solida magis fluunt: & ideo plurimorum qui hodie libros conficiunt, effusior eruditio, quia liquidior, illique deest ad continentiam firmitas.

Accessit ex recenti opinione sterilitatis verecundia: pudet enim inter tot scriptores, non scripsisse, timeturque ne inscitiae loco habeatur illa modestia animi, quâ multi sapientissimè famæ suæ consulunt, & ad maximum generis nostri commodum, silent.

Olim apud Iudæos nulla virgo quæ mater esse non cuperet, spe scilicet promissum in lege Messiam concipiendi, suóque partu eam comparandi apud mortales nominis claritatem,

quæ nunquam esset interitura. Non omnino dispar plurimorum authorum ambitio, expectanti orbi ingenitum se daturam filium adeo sperat, ut nulla ei poena decerni à iudicibus possit, virginitate atrocior. Verùm quām miserè decipiatur, ipsa proliis natuitas ostendit: & pro masculo mollis fœmina, imbelli vagitu implorans nutricum opem, cui etiam sæpiissimè deest, quæ maximum censemur solatum sexus, venustas.

Plures certè authores calamo parcerent, si lectorum suorum, qui inutilibus & sæpè noxijs libentissime incumbunt, minor esset patientia; aut à Magistratu æquissima seueritas castigaret illam præli, cui indiscretè creduntur quæcumque vel improbus author somniauerit, loquacitatem.

An Cuthembergius qui hanc artem in Germaniâ primus inuenisse fertur, in posteriorum commodum

laborauerit, certè ambigo; nam adeò  
iam facilis, Typorum ope, cuiuslibet  
operis rumor, vt qui nomen suum  
spargere ambit, modico pretio fiat  
notissimus, neque Notarijs indigeat.  
Multiplices enim manus ars illa ha-  
bet, volentique centies in pluribus  
chartis citò exhibebit, quòd semel  
in vnâ scripserit.

Lapideum populum Romam olim  
incoluisse ex Historia accepimus, tot  
namque ptopemodum in illâ vrbe  
statuæ erant, quot ciues; sed iam fe-  
rè apud nos librorum, quàm homi-  
num turba densior. Quid ergo mi-  
rum, si in numerosâ plebe latrones  
multi, & etiam sine furto, alijs de  
causis, tot nocentes inueniuntur? in  
pacem publicam aliquos, in ca-  
stitatem plures peccare, lector do-  
lebis si sapiens, & maximè si Chri-  
stianus.

Vnico Apelli, Alejandro impe-

rante, fas erat regios vultus pingere,  
cæteri artifices à Principe amoue-  
bantur, ne operis ignobilitate deho-  
nestarent majestatem imperantis.  
hanc apud nos legem ferri in autho-  
res, vt nemo deinceps scribat, nisi  
qui optimè, æquum certè non existi-  
mo; sæpiissimè enim in multorum  
vsum cedit ignobilis labor, & ple-  
bæis authoribus plebem delectari ita  
certum est, vt non sine maximâ il-  
lius iniuriâ, istos à scribendo calamos  
arceas, qui de rebus bonis quandóque  
vtiliter scribunt, non seruatâ licet ar-  
gumenti dignitate.

Apud agrestes, cibi viliores, dum-  
modò abundant, conuiuia sunt, nec  
protinus mensa damnatur quia illam  
fastidit gustus delicatior. omnino  
utiles censentur illi artifices, qui lu-  
teas domos construunt, licet ad se-  
candum marmor, & ad Vitruuij  
præcepta, quibus ille author venu-

statem ædificijs in ditiorum usum  
contulit, ineptissimi.

An ideo pannus rudior emptorem  
non inueniet, quia sericis dignitatem  
suam probant viri nobiles? Ciuem in  
bello seruasse præclarum erat apud  
Romanos, et si hostem urbe exegi-  
se, præclarus; cuilibet certanti, vin-  
centique sua corona: modica virtus,  
si non auro insignitur, saltem quer-  
cu, neque tantillum præmium sine  
inuidis.

Stellarum, quæ nomen apud Astro-  
logos non meruere, sua est etiam util-  
itas. Minutissimæ ex illis lacteum  
iter conficiunt: & cœlestem viam si-  
militer ostendet, obscuriorum au-  
thorum turba ignobilis, si de pietate  
caterisque virtutibus, sincerè agent,  
& in eum lectorem incident qui res  
bonas ferre queat sine ornatu.

Sed quis, oro, istorum librorum  
usus, qui ad hoc solummodo editi

videntur, ut authoris sui nomen præferant? Totum quod ab illis experitare debeat lector, titulus est, vel Epistola.

Quæ Herculis fuerat, mox Claudijs, nec multo post Neronis statua, non multo labore effecta est: cùm artifex adulatio in solo capite ludaret, & robustissimo Herculi, molles vultus addere, in Principum suorum gloriam, præclarissimum opus arbitraretur. Multos certè libros reperias qui facie tenus noui sunt. Albertus Magnus qui tot annos in Cœnobijs male iacuerat, iam sorte meliore, prælo datus est. hunc, cùm adhuc temporum incuria in solitudine ageret, multi authores inuisere: & non repugnanti sustulere plures tractatus, quos iam vetustatis opera fuisse, prælum ostendit. Quid nobilissimo labori fures addidisse autumas, vt ex illo non debitam sibi gloriam capta-

rent? frontem & nomen. sacra etiam apud infideles sepulchra fuisse nouimus ; at hæc nostris temporibus videtur obliterata Religio : cùm functos à pluribus annis authores, ipsumque Albertum, securos à latronibus non præstiterit , cinerum suorum sanctitas.

Fures hos inutilia scripsisse , licet præclara ediderint , quis neget ? acta enim agere superfluum est , & otio proximus labor. Cumque diutius latere vix posset præclarissimorum authorum eximia lux , cámque in dis quirendis authoribus iam diligentior ætas , velut quædam aurora prænuntiaret ; quid nobis , quæso , præstitere illi scriptores , qui radios cito emersuris authoribus , tanquam plus iusto dies illa expectaretur , adeo turpiter surripuerunt ? alieni duces splendoris , neque Phaetonte illo fortunatores , qui solis Auriga , sed imperitus ,

orbem non illustrauit , sed vissit.

Tenebrarum causam agis ô Fir-miane, inquit Stenius, qui in eos au-thores inueheris, quorum ope promptior dies abstulit plurimorum cali-ginem. in Albertum quoque officio-sè peccasse authores istos, aliquis non ineptè dixerit : illum namque è te-nebricoso carcere , charitate ducti benefici homines eruerunt ; nec me-riti detractio est , nobilissimum scri-ptorem , vt securius erumperet, alien-is vestibus , nouoque titulo occu-luisse. iustius in illos impetum facies qui libellis suis orbem inquinant.

Ad hæc ego ; Optime mones , ô Steni , incendiarij namque latroni-bus sunt deteriores : neque vlla vn-quam Respublica eos tulit qui tectis ignem subijciunt , cùm tamen apud Spartanos furtum nulla lege prohi-beretur , si arcanum ; vt eâ occultè subtiliterque rapiendi licentiâ , quis-

que ciuium in asseruandis quas comparauiisset facultatibus, redderetur vigilantior.

Adeò benignè nobiscū egit amantissima parens natura, vt noxiæ stirpes paucissimæ sint, & ita ferè lateant, vt nisi diligentissimus inquisitor abditam in arduis, aut sole carentibus locis, perniciem inuestigaueris, in venena non incidas. Plantæ vtiles, & dandis fructibus natæ, ad manū sunt, vt cultorem faciliùs inueniant. Nulla penè vbertas nisi illorum, quibus vita aut seruat, aut efficitur commodior. utinam & sic de libris! sed heus! plures habemus qui venena virtutibus, quàm qui alimenta tribuunt; & publicæ salutis ea iam negligentia est, vt nullus ideo liber malus censatur, quòd pestem conferat suo lectori. Miraris non timeri morbum? emitur: & toxica, quibus intereat animorum sanitas, ita non obscure

obscure cuilibet perire volenti apponuntur in compitis, ut ex ipsâ sapientissimè fronte librorum, religio, an pudicitia pulsetur, facillimè agnoscas.

Malus liber, malo homine perniciosior omnino existimandus est, eadem enim cum loquatur, hoc plus habet, quod hæc ipsa semper loquitur, inuenitque latebras commodiores. Etenim cum impijs, aut obscenæ vitæ hominibus, colloquia miscere nemo audet, nisi & ipse perditissimus sit, nullaque ei supersit fama quam seruare speret, aut cupiat. Verum cum pessimis libris agendi, nullus pudor, latitant enim quantum volueris; & verecundus, ut plurimum, in publico animus, in abdito, ubi nullus studiorum testis, aut iudex, cum impurissimis scriptoribus inquinari non metuit. quasi honestius leno liber admitteretur, nefarijs illis, & ad

Cc

voluptatis ministerium sponte dam-  
natis , qui scortorum prostitutione  
quæstum faciunt.

Tot libros amorum indubie edit  
solito acrior sæculi huius salacitas ;  
cui , vt omnia in peius ruant , acces-  
sit etiam hac tempestate , vrbanitas  
quædam sermonis , decorandis vitijs  
aptissima. hæc impuros quotidie ca-  
lamos yrget , vt quām suauiter noce-  
re , & incogitantem pudicitiam , gra-  
tissimis narrationibus , fictisque va-  
riarum rerum euentis , perdere pos-  
sint , omnes sciant.

Musicus qui se ad aurium solatium  
vocem inflectere arbitratur , vbiique  
non rogatus cantitat , & frequenti  
modulatione ita sæpè molestus est ,  
vt nulos auditores habeat , nisi ira-  
tos. Quòd plurimi authores amato-  
riis libellis publicos mores inficiunt ,  
facit eloquentiæ cuiusdam , innatæ  
que venustatis conscientia . quia li-

cet in Nænijs totam operam consummant isti authores, existimant tamen eā gratiā ornare se fabulas posse, vt propitios lectors habeant, eos omnes quibus ex animi leuitate, aut insciatiā, viluit argumentū solidius. Quām miserum, virtutes interire, mores fœdari, vt inanissimi scriptores, nomen sibi apud otiosos, fictis amori- bus comparent, verborumque blan- ditijs!

Dissertationem absoluit Marcellinus. exhausto imbribus cœlo, plerumqne accidit magna siccitas, inquit ille, & nimis aquis obrutæ priùs, stirpes sitiunt. Tantam libro- rum copiam, ni ordinem suum naturam mutauerit, excipiet sine dubio maxima scriptorum sterilitas, & lo- quacitatem sœculi huius, fortunatio- tioris æui silentium æquabit.

F I N I S.


SUMMA PRIVILEGII

*Regis Christianissimi.*

**C**AVTVM est auctoritate Re-  
gis, ne quis in regno eius, alij-  
n locis eius ditioni subjectis, librū  
qui inscribitur SÆCVLI GENIVS  
PETRO FIRMIANO AVTHORE,  
quouis charactere, aut forma excu-  
dere, aut alibi excusum vendere, alio-  
ù quolibet modo distrahere possit  
intra nouem annos computandos à  
die absolutæ primæ editionis, præter  
SEBASTIANVM CRAMOISY,  
Regis & Reginæ Architypographū,  
Regiæ Typographiæ Gubernato-  
rem, nec non vrbis Exconsulem. Qui  
secus fecerit, mulcta est indicta,  
prout fusi in diplome Regio con-  
tinetur. Datum Parisijs die 9. Aprilis  
1653. Sic signatum. De mandato Re-  
gis. **C R A M O I S Y.**

Ave MARIA gratia plena,


ab deo et regnante in non p*re*sente  
in glori*e* fata B*ea*ute  
c*u*z min*u*le*c* x*u*c*u*re*u*s*a*nt



Biblioteka Jagiellońska



stdr0029817







Firmianus Petrus

Sacculi genus

Parisiis


afud Sebastium et Gabielm Cremoisy

1653.

ff° Hk. n. - 403 st.

aüj-aüj i A-Aüj - Ce

Ofr. pers.



Firmianus Setus

saeculi genius

Parisii  
apud sebastianum et gabrielem bromoisy  
1653.

ff°. 4k.n. — 403 sk.  
aij-aij : H-Aij — Cc

Ofr. fery.

